**Consilia medica diversorum auctorum.**

**Contributors**

Matthaeus, Johannes, 1563-1621.
Theodore, Hyacinthe, Baron, 1686-1758

**Publication/Creation**

Francofurti : E Collegio musarum Paltheniano, 1608.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/cgn2xmav

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


MEDICA





*Mihi Res, non Me Rebus.*



06.

Bibliotheca
M. Hyacinthi Theodori Baron,
Antiqui Facultatis Medicinæ
Parisiensis Decani, nec non
Castrorum Regis et Exercituum
Protomedici.

4126/A
4125/
4124/ A xxx. Mat

Hodgson Jan 26/28
Lot 219 = 20/-

Trois traités du même auteur dans ce volume.

Le Second traité *Quaestionum Medicatum enodatio*, a été reimprimé beaucoup plus ample, puisqu'il contient Cent Questions: mais on a ommis dans la Seconde edition les observations de medecine qui se trouvent icy a la fin du traité; ainsi il est necessaire d'avoir les deux Editions.

47042.(1)

# CONSILIA MEDICA DIVERSORVM AVCTORVM,

*PRO ILLVSTRISSIMO PRINCIPE ac Domino, Domino Erneſto Friderico, Marchione Badenſe & Hochbergenſe, Landgrauio in* Sauſenberg / *Domino in* Rötel & Badenweiler.

AVCTORE ET COLLECTORE

IOAN. MATTHÆO, OLIM EIVS Celſitudinis Archiatro, nuper Medico Hanouienſi, iam vero Profeſſore Sigenſi digniſſimo.



*FRANCOFVRTI,*
E Collegio Muſarum Paltheniano.

ANNO M. DC. VIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# IOHANNES MATTHÆVS MEDIC. D.

## LECTORI BENEVOLO S.

STRABO auctor eſt, Lector beneuole, Aegyptios vetuſto more ægros ſuos in forum vel viam publicam efferre conſueuiſſe, vt a prætereuntibus, ſi qui forte ſimili morbo laboraſſent, conſilium pro recuperanda ſanitate caperent, eaque edocerentur, quibus ipſi olim e ſimilibus morbis euaſiſſent. Quã vero hæc per analogiſmum curandi ratio incerta ſit & periculoſa, ipſi etiam Aegyptii tandem experti ſunt. Hinc adeo factum, vt iſtum medicandi ritum immutarint, & ſingulis morbis ſingulos Medicos conſtituerint. Licet autem incerta illa & periculoſa per analogiſmum curatio non ſine grauiſſimis rationibus olim reiecta & exploſa fuit, ſi

tamen huius ſeculi conſuetudinem conſideremus, re ipſa experimur, ægros analogeticis curationibus mirifice delectari, & imperitiſſimis etiam hominibus corporis ſui curationem facile committere: qui inani duntaxat dicacitate ægris perſuadent, ſe ſimiles morbos hoc vel illo remedii genere feliciter curaſſe. Interim ſi vel maxime aliqui fucum ſentiant, plerique tamen quibus vitæ periculis ſe exponant, minime intelligunt. Veriſſimum enim eſt dictum in Scholis vſitatum, ſimile non eſſe idem. Sed concedamus morbi genus idem eſſe: Infinitæ tamen ſunt circumſtantiæ, quarum non minorem quam ipſius morbi rationem habere oportet, cuiuſmodi ſunt Aetas, Natura, Sexus, Temperamentum, Cæli temperies, Anni tempus, & aliæ huius generis plures. Accedit, quod Hippoc. de præſag. & fract. Galen. item com. 3. in 1. Epid. tex. 1. in Medico requirunt, vt non ſolum generalem morborum & ægrorum naturam, ſed occultam etiam ſingulorum proprietatẽ diligenter perpendat. Quod ſi fecerimus, non facile

morbos ſimiles, ſed longe diſſimiles inueniemus, quibus nulla, niſi per methodi & rationis viam, curatio recte accommodari poterit.

Quapropter non eſt dubitandum, quin peſtilentiſſimi vitæ noſtræ hoſtes ſint, quicunque vana oſtentatione iactitant, magnaque impudentia, ſe hoc vel illo morbo laborantes abſq; methodo & ratione perſanaſſe, turpiſſime nugantur. Si vero tanta opera præſtare poſſunt, quod ſe poſſe prædicant, quid opus eſt, quod omnes mundi angulos peruagantur, ſuamque medicinam venalem circumferunt? Neque enim vino vendibili, vt eſt in prouerbio, opus ſuſpenſa hedera. Nec probæ merci emtores vnquam deſunt. Haud igitur obſcurum, quid Anabaptiſtæ, quid Iudæi, quid alii vaniſſimi impoſtores præſtiterint, qui magno numero ad Illuſtriſſimum Principem ac Dominum, Dominum Erneſtum Fridericum, Marchionem Badenſem & Hochbergenſem, &c. Dominum meum clementiſſimum, feliciſſimæ recordationis, per annos octo grauiſſimis morbis labo-

rantem, non vocati ſola ſpe lucri confluxerunt, ſuamq; operam magnificis verbis eius Celſit. detulerunt. Quamquam autem plerique ab eius Celſ. reiecti fuerint, eo tamen iactantia quorundam proceſſit, vt paſſim gloriati fuerint ſe Illuſtriſſimum Principem, de quo omnes Medici deſperaſſent, priſtinæ ſanitati reſtituiſſe. Alii vt turpiſſimæ ignorantiæ & inſcitiæ, cuius Illuſtriſſimus Princeps pro ſingulari ſua eruditione & ingenii acumine conuincere eos ſolebat, excuſationem aliquam comminiſcerentur, neſcio quo Lupo & Cancro, circa principium carnibus, poſtea vero piſcibus admotis miteſcente eius Celſ. laborare, impudenter in vulgus ſparſerunt. Quapropter vt nugæ iſtæ omnibus innoteſcant, & ſimul Medicorum compluriuṁ precibus ſatisfiat, qui etiamnum pie defuncti Principis morbum quo laborauit, quæque de eo Medicorum tum temporis iudicia fuerint ſcire cupiunt: Ecce in lucem mea opera prodeunt, quæ pro Illuſtriſſimo Principe conſilia medica & loeis diuerſis ſcripta ſunt, & in manu

mea

eas, qui, licet indignus, ſexenniũ Prin-
pi medicinam feci, venerunt, omnia.
onſtabit iam inde quæ fuerit morbi na-
ura, quæ conditio, quæ conditionis ra-
io, vnus idemque Medicorum omnium
opus, eadem curandi intentio, licet in
rmulis medicamentorum diuerſitas
liquando appareat. Adiunxi vero et-
iam Empiricorum quorundam ſecreta;
t ſcilicet nugæ & mendacia ſparſa &
iſſeminata, ceu nebulæ diſpergantur;
udentes medicaſtrorum contradictio-
es, pueriles abſurditates, aniles fabulæ,
xperimenta denique omni periculo ple-
a, magis magisq; eluceſcant; atque adeo
ii etiam Illuſtriſsimi Principis manes
b omni iniuria vindicentur. Tu hoc
qualicunque labore, bone Lector, fe-
liciter fruere. Datum e muſæo
meo 10. Martii, An-
no 1607.

CONSI-

*Conſilium I.*

# PRO ILLVSTRISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, DOMINO ERNESTO FRIDERICO Marchione Badenſe & Hochbergenſe, Landtgrauio in Sauſenberg, Domino in Rötel & Badenweiler/etc.

CVM ſymptomatũ, ſignorũ, & reliquarum ſubiecti propoſiti circumſtãtiarum diligens obſeruatio deducat nos in legitimam cognitionem cauſſarum, vnde facilior curatio: omnium maxime neceſſarium videtur eorum relationem ab initio ponere. Ab iis igitur exordiar.

Illuſtriſſimus & Clemẽtiſſimus Princeps noſter, ab hinc aliquot annis, de

grauiſſimò quodam dolore capitis per interualla & certos circuitus redeunte, quē *Cephalalgiam* Medici appellant, cōqueſtus eſt. Acceſſerūt huic malo defluxiones validæ in pedes, cū vtriuſq; pedis exulceratione & cutis apertura, apparētibus ſimul maculis nigris ex ruffo cœruleis in ſuperficie ipſius cutis & circūferētia vlcerū. Vlcera ipſa tenui quodam ichore ſtillantia, interdū ſalſum & prurientē humorem effundere ſolent: Nonnunquam ꝑ ſe conſolidantur & occlūdūtur, ſed imperfecte. Humore a. birioſo in corpore efferueſcēte plerunq; iterū exulcerantur & aperiuntur, effluente acri, flaua, bilioſa & mordaci materia ꝑ ipſa vlcera. Atq; tunc tp̄ris vlcera recrudeſcere ſolēt cū manifeſta inflāmatione partiū neruoſarum. Ipſa vlcera, quāuis primo inſpicienti, in ꝓfundum vergere nō videantur, ſed tm̄ ſuperficiem, ſecundū latitudinem pollicis, obtinere videantur: Aliquando tn̄ ſpongioſæ, ſemiputridæ & craſſiuſculæ carnis particulæ cū mediocri vlceris ꝓfunditate, in emplaſtris hærere cōſpiciuntur, ſicut & totius vlceris ambitus ſpongioſa carne

ſuf-

ſuffultus. Pus laudabile raro effluit, q̄ ſi cõtingat, dolores manifeſte remittunt, ſicut alias ẽt fieri ſolet. Quib, omnibus cõſideratis, vlcera hęc cacoethica ex affluxu malignorũ humorũ, variorumq́; contrariorũ accidentium concurſu, definire merito licet. Adhibita ſunt varia experimẽta topica ad eorũ vlcerũ curationẽ, ſed om̃ia fruſtra. Cauſſa forte ea fuit, q̄ vniuerſalib. in corpore cacochymico, ſpõgioſo & flatulẽto, quales præcipue ſunt pedes, nõ p̃miſſis, baſis vlceri conueniens poni nõ potuit. Superuenīūt his malis omnibus defluxiones arthriticæ, q̄ oẽs articulos & pedũ connexiones, ſtato tp̃re cũ magno impetu & copia inuadũt, quib. & interdũ ſpaſmus miſcet. Defluxiones iſtæ ex toto pituitoſæ & frigidæ exſiſtunt, q̄ tactus frigidus, color albus, & applicatio medicamentorũ ẽt calidiſſimorũ & bene conueniẽtiũ oſtendunt. Ventriculũ ẽt eiuſq́; orificiũ male affectũ eſſe, pituitaq́; quæ partim putrida, partim ſalſa, repletum, vnde caloris inſiti & concoctionis imminutio, nauſea & praui vapores matutino tempore fauces afficientes;

orexes, cruditates & flatus, totam ventris regionem fere ſemper occupantes, vini item fere nullus natiuus & gratus ſapor, ſufficienter declarant. Conqueritur etiam Illuſtriſſimus Princeps de dolore quodam ſiniſtri lateris, circa coſtas ſpurias, qui dolor non ſenſim aut gradatim ſecundum communem naturæ curſum incepit, ſed ſubito poſt aſſatarum quarundam auicularum comeſtionem inuaſit cum variis & malignis accidentibus. Et hoc quidem ſymptoma non ſolum Celſ. ſuam, ſed alias plures perſonas comeſſantes tum temporis, eodem modo occupauit: Vnde coniicere licet, hæc non ab interiori aliquo & cõmuni vel naturali curſu corruptionis in natura, ſed potius ab aliqua externa & venenata cauſſa violenter & ſubito eueniſſe. Obſeruatum eſt & hoc, ex innata quadam huic Illuſtriſſimæ familiæ ſingulari cõſtitutione & proprietate, naturam, omnium fere humorum in corpore cõtentorum collectionem, a centro ad circumferentiam, validiſſime & plus quã par eſt, depellere. Hinc fit vt natura eorum inordinate irritata,

quic-

quicquid eſt malignorum vel ſuperuacaneorum humorum, vel in pedes, vel in capacitatem capitis & cerebri, vel exteriorem corporis habitum deponat. Vnde ante memoratam cephalalgiam, arthritidem, vlcera, & totius corporis œdematoſam conſtitutionem, ſuam originem ex parte habere, non dubitatur. Hinc etiam natura in errorem deducta, quicquid eſt craſſarum fecum, quæ per aluum & inteſtina, tanquam vias ordinarias deduci debebant, alio, quam quo conuenit, defert: vnde partes illæ huic colluuiei excipiendæ, a natura non deſtinatæ, grauius afficiuntur. Poſtremo ſuccedit his omnibus præternaturalibus affectib. aliud malum, quod quidem plurium aliorum cauſſa exſiſtit, naturæ ſcilicet obſtinata reluctatio ad medicamenta cataretica: qualiacunque enim illa fere ſunt, ſemper tamen poſt eorum vſum, natura peſſime afficitur: aut enim plane non, vel parum purgant, & tunc depellitur humoris malitia in membra remota & pedes, vnde irritatum partium dolores, vel ſi aliquantuluin valentius operata fuerint, peri-

culoſæ lypothimiæ metuendæ ſunt. Hic fomes multorum malorum latet: dum enim propter enarrata pericula a purgantib. medicamentis hactenus ceſſatum eſt, humorum malignitas & copia, in corpore alias cacochymico & pleno admodũ inualuit, omnemq; caloris natiui præſtantiam & vigorem peſſime afflixit & quaſi exſtinguere conata eſt. Hæc sũt fere ſymptomata principaliora quib. Celſ. ſua afficitur. Reſtat nunc ad pleniorem cauſſarũ indagationẽ, vt aliquid de cõſtitutione & cõplexione huius ſubiecti, qm̃ coniicere licuit, diſſeramus. Fuit Illuſtr. Princeps ſine dubio, ab initio iuuentutis, vt plurimũ ſanguineæ naturæ, cũ fere omnia illa ſigna in Celſ. ſua concurrant, quæ Galenus ſanguineæ complexioni tribuit, nonnihil tamen ad phlegmaticam deflexit, quod pedes ab ineunte ætate œdematoſi & fluxionibus obnoxii, declarant. Tarditas deinde actionum & facultatũ animalium, vt Celſ. eius mihi ipſi retulit (*quæ quidem, alias in ſtabiliendo iudicio optima eſt*) illud ipſum demonſtrat, quod quidem Ariſtotelicæ illius melancholiæ aliquam mixtu-

turam propter dexteritatem & acrimoniam conſtantis iudicii, quæ duabus his complexionibus nihil acceptum referre poteſt, deſignare videtur. Nam ſanguinea cõplexio magis volubiles, phlegmatica ſola hebetes, quarum nullum hic eſt, efficit. Negari tamen non poteſt, *progreſſu temporis ex accidente, complexionem phlegmaticam, dominium obtinuiſſe, ſanguinea tamen non multum diminuta.* Teſtimonia ſunt his, *ſtatura corporis procera, robuſta & plena, pectus & thorax amplus & latus, venæ latæ & turgentes, color faciei roſeus*, quæ omnia excellentiam ſanguineæ: contra habitus corporis œdematoſus, tumores pedum flatuoſi & aquoſi, & qui tales exſiſtunt, vt nonnunquam impreſſi digiti veſtigium relinquant, defluxiones item copioſæ & arthriticæ, articulorum & ligamentorum laxitas & debilitas, ſine vllo calore præternaturali, ſpaſmi frequentes, phlegmaticæ complexionis dominium atteſtantur. Quod reliquarũ præcipuarum interiorum partiũ naturam & conditionẽ attinet, videtur *cor calidũ & humidum, robuſtũ & validũ, vnde calo-*

*ris natiui copioſa promiſſio.* Epar itidem eiuſdem naturæ & in conficiendo copioſo ſanguine nimis luxurians & ſtrenuum, ſanguificatricem tamen facultatem imminutam, ſuperiora exacte cōſiderata atteſtantur. Cerebrum plus iuſto humidum & frigidum, & reliquarum mandantium partium quaſi lacuna effectum, quotidianæ pituitæ prouentus, catarrhi, defluxiones & alia precedentia liquide oſtendunt. Enarratis ſymptomatibus & affectionibus præternaturalibus, complexione totius, & internarum partium temperamentis, de cauſſis horum affectuum omnium oritur diſquiſitio. Ego, dimiſſis cauſſis externis horum affectuum omnium præcipuam cauſſam, in duo viſcera, vētriculum & epar reiicio. Nam ſtante cruditate ventriculi, propter immenſam copiam pituitæ inhærentis, non ſolum ingeſta alimenta corrumpuntur, vnde cruditas augetur, ſed etiam concoctio & calor inſitus ventriculi magis magiſque violatur. Hinc chylus crudus ſemicoctus & corruptus, a violentia epatis (*quod in hoc Principe validiſſimum eſt*)

*eſt*) per venas attractus, & ante certum digeſtionis tempus raptatus, in eodem viſcere & venis meſaraicis obſtructiones efficit. Calor enim ille validiſſimus & nunquam quieſcens, dum fortius laborat, moram conuenientem chyli in epate & genere venoſo conficiendi, anticipat & præuertit: Hinc ex crudo chylo crudus & pituitoſus ſanguis, in reliquas corporis partes & vaſa præcipitatus, in copia reiectus & depulſus, non ſolum reliquas concoctiones vitiat, caloremque partibus inſitum offuſcat & extinguit, ſed etiam cerebrum, eiuſq; vaſa replet & diſtendit. Hinc dolor ille *Cephalalgicus* propter diſtentionem vaſorum & membranarum; Cerebrum enim tanti roboris non eſt, vt tantum impetum humorum ab epate eo protruſorum remandare poſſit: Hinc dolor ille arthriticus, cum, ſanguine nimirum plus iuſto aucto vaſaque diſtendente, nec exitum aut difflationem habente, ſanguis ebullire incipit, inque illa ſequeſtratione pituitam & ſeroſos humores vel in caput vel in articulos reiicit. Ex eodem fonte ſpaſmus, quando

çerebrum pituita repletum, eandem in neruos, quorum principium eſt, deponit & expellit: Hinc totius corporis tumores præternaturales, habitus ſpongioſus & cachectica conſtitutio, cum videlicet humor crudus cum violentia in habitum corporis proiectus calorem inſitum obruit & exſtinguit. Vnde deficiente calore natiuo & pereunte, materia, quæ affluxit, nõ diſcutitur, ſed magis magiſq; corrũpitur, caloreq; extraneo acquiſito, ſalſam & acrem qualitatem concipit, quæ cutem tãdem perforans, vlcerum in pedibus, ex parte, cauſſa exſiſtit. Sed quærere quis poſſet, vnde liueſcentes illæ nigræ & ex ruffo cœruleæ maculæ in circumferẽtia vlcerum? Dico ex eodem feruido & ſuperaſſante epatis calore: ſicut enim calor ille ſuperfluus, materiam crudam & pituitoſam, ab initio cum violentia & celeritate in vaſa propellit, ita quod reliquum eſt, adurit, vnde bilis flauæ & melancholiæ aduſtæ copia, quæ cum exitum cum communibus alui excrementis nõ habeat, aut per hæmorrhoides, liene adiuuante & attrahente, non expurgetur,

per

per venam cauam ad inferiora pedum, depellitur, ibique pro ratione humoris, maculas non ſolum variat, ſed etiam ipſa vlcera excitat. Hinc cõiectare licet, vix poſſibile eſſe talia vlcera ſolis topicis quantumuis præſtantiſſimis poſſe conſolidari. Quis enim tam validum & copioſum impetum naturæ, in tam paruo vlceris ſpatio infringet aut obturabit? aut poſito ſi fiat, quis impediet vt non alio & forſan periculoſiore loco humores illi praui, acres & mordaces erumpant? Videmus applicatis fontanellis & bene fluentibus, vlcera ab accidentibus malignis vix ſaluari poſſe, quid fiet, iiſdē vlceribus obturatis? preſertim ſanguinis & humorum illa vehemēti ebullitione & ſequeſtratione redeunte. Ex hoc fundamento intelligere quoque licet, *cur omnia ad circumferentiam & exteriorem habitum corporis, quæ per aluum & inteſtina rectius reiicerentur, repellantur?* Calore enim epatis cõtinue crudum & inconfectum chylum depaſcente & deuorante, eumq; curſum ſubitaneo impulſu incoctum & crudum, ad exteriora protrudente, fieri non poteſt, quin facultas in-

teſtinorum expultrix ſuo fine fruſtretur. Hinc pulſio illa perpetua ad ambitum corporis & cruditas cruditati continenter ſuccedens, totum corpus tandem labefactat & in cachexiam deducit, vnde hydrops, apoplexia & alia incōmoda, niſi præcaueatur, metuenda. Dolorem ſiniſtri lateris quod attinet, iſtius cauſſa eſt manifeſta & ſuperius declarata.

Nunc ad horum affectuum præternaturalium curationem accedendum, quæ quidem, quamuis difficilis videatur, non tamen inanem ſed ſalutiferam fore ſperamus.

Curatio in duabus generalibus intentionibus conſiſtit, in ablatione corrupti & ſuperflui, & in integrum reſtitutione partium labefactarum. Intentio prima omnino eſt neceſſaria & ineuitabilis, neq; vllo modo fieri poteſt, vt quidam vel quædam potius Med. inſontes Medicos diffamando & traducendo, ſibi ſomniant, quaſi his malis ſine methodicis euacuationibus ſuccurri poſſit. Videmus hoc in omnibus operibus naturæ, quæ ſemper conſueto more & ordine, ſuperflua reiicit, ſenſimque tandem

dem reſtaurat. Videmus hoc in animantibus multis, quibus per ſe, ſolo naturæ motu, ſanguine turgente & luxuriante, venæ aperiuntur. Huic naturæ methodo Medicus inſiſtere debet, vtpote quæ millies certior quam vlla panacæa, aut occulta quædam, quæ circumferuntur, quaſi ſpiritualiter agentia experimenta, in quibus non eſt ſalus. Sed de his hactenus.

Nunc circumſpiciendum, qua via, prima intentio, nempe *ſuperflui & corrupti ablatio ſit peragenda, quæ fieri non poteſt, niſi id quod ſuperfluum eſt, præparetur & eductioni aptum reddatur, quod fiet medicamentis ad hoc ante vſurpatis, & pro differentia humorum ſingulariter concinnatis, qualia ſunt raphanus ſylueſtris in iuſculo, Spiritus vitrioli in eodem, acetum de floribus Sambuci, &c.* Acidulæ etiam ipſæ omnium erunt conuenientiſſimæ, vtpote quæ indifferenter omnes humores incidendo, ventriculum & epar ſimul roborando, ſint aptiſſimæ. His dextre adminiſtratis, per epicraſin alternis vicibus corpus erit & euacuandũ, & ſenſim humores præparandi & alterandi.

Nõ enim fieri poteſt, vt vna vice in tam pleno corpore, tanta colluuies humorum expellatur, nec ſi fieri poſſet, ſine periculo contingeret. Euacuationes quæ hic vſurpandæ proponuntur, in genere ſunt duplices, Internæ & externæ. Internæ ſunt iterum triplices, Aliæ enim fiunt per aluum, Aliæ per vrinas, Aliæ denique per ſudores. Euacuatio per aluũ Celſitudini veſtræ nota eſt, vtpote quæ vix alias admittat. Euacuatio per ſudores & vrinas omnium commodiſſime per acidulas, adiumento thermarum perfici poteſt. Euacuatio externa rurſus duplex eſt, Vel enim fit per ſectionem venæ, Vel per extractionem per thermas, circa totum corporis habitum & ambitum.

Venæ ſectio omnino eſt neceſſaria, vt quæ nõ ſolum a plenitudine vaſorum expedite liberet, ſed etiam ab ebullitione & ſequeſtratione humorum & ſanguinis præſeruet. Nec hic metuendum eſt, ſpiritum vitæ aut calorem natiuum imminui, aut hydropem accelerari, ſi venæ inciſio adminiſtretur, cum potius centies maius periculum Principi Illuſtriſ-

ſtriſſimo immineat, ſi nō fiat. Venis etenim & vaſis plenitudine turgentibus, nec ventilationem habentibus, non ſolum tota maſſa ſanguinea magis magiſque corrrumpitur, ſed etiam calor natiuus exſtinguitur, vnde ſuperiora omnia vehemētius pertimeſcenda: Quin imo ſi aliqua grauis inflammatio ſuccederet, ſubito e medio, quod Deus auertat, eſſet ſublatura. Euacuatio per thermas quoq; omitti non poteſt. Nullum enim accōmodatius habemus medicamentū humores pituitoſos & ſeroſos in toto corporis habitu, ſub muſculis & cute latentes, incidendi & extrahēdi, quam ipſas thermas, vtpote quæ totum corporis habitum ambire & ex omnibus partibus humores latētes extrahere, & deniq; totū corpus exſiccare valeant, & hoc quidē multo melius & felicius q̃ vllis aliis tædioſis localib. fieri poteſt. Nec etiam ad omnes alias corporis partes, neceſſaria localia applicare poſſumus; ꝙ tñ in thermis conuenienter fieri pōt: Excretis & exturbatis hoc modo e corpore prauis humorib. ad reſtaurationē viſcerū principalium, procedendū eſt.

Inter ea ventriculus primum locum ſibi vendicat, nam cum ſit primæ concoctionis officina, primo quoque erit adiuuandus. Vitium enim primæ, ſecunda non corrigit, & corrupta prima inficitur quoque ſecunda.

Ventriculi autem vitia pręcipua ſunt caloris imminutio, vnde concoctricis facultatis imbecillitas & ventriculi orificii nimia relaxatio, vnde accidit *calorem in ventriculo congregatum diſſipari*, hinc malum ſupradictum augetur. Calor itaque reſtituendus eſt & adſtrictio corroboranda, quod melius aut commodius fieri non poterit, quam per acidulas & thermas, acidulæ enim in adſtringendo ventriculo eiuſque orificio, ſunt præſtantiſſimæ. Et quamuis acidulę per ſe refrigerent, ex accidēte tamen hoc loco calefacient. Dum enim orificium ventriculi & reliquæ eius partes bene conſtringuntur, calor in ſemetipſum reuolutus & replicatus, duplicatur, vnde caloris iſtius augmentum. Thermæ autem ipſo actu calefaciunt & exſiccant, caloreque ſuo æthereo totũ corpus ambientes, interiorem ventriculi

triculi partiumq; ipſi contiguarum calorem fouent & conſeruant, flatus toto corpore turgentes diſcutiunt. Epar, quod ſecundæ concoctionis officina, nunc ſequitur. Vitia autem epatis in exceſſu caloris, & operationis nimium velocis & luxuriantis, deinde in deprauatione facultatis ſanguificæ alteratricis cōſiſtunt. Radix vero horum omnium calor in iecore præternaturalis exſiſtit: quo ad certam & moderatam temperiem reducto; reliqua per ſe reſtituentur. Ad hanc calidam intemperiem cōtemperandam; acidulis ipſis nihil eſt excellentius aut præſtantius, præcipue cum nauſeabundus vētriculus reliquas medicamentoſas potiones, iulepos & ſyrupos: non ſolum reſpuat, ſed etiam eidem noxiæ exſiſtant. *Denique* cum ipſum ſemper aliqua corroboratione & adſtrictione opus habeat, acidulæ ad id omnium ſunt accommodatiſſimæ. Sed hic quædam contraindicantia opponi poſſunt, primum, *an epate præternaturali calida intemperie laborante, thermæ ipſa calidiores, ſine noxa adminiſtrari queant?* Dico quod ſic, licet enim epar calidum

exſiſtat, exteriora tamen corporis adeò frigidis, pituitoſis & ſeroſis humoribus, ſunt repleta & obruta, vt ipſæ thermæ, priuſquam eos incidant, alterent & extrahant, operationes ſuas ad interiora penetrandi, fere amittant. *Deinde* poſito eo, quod epar vſurpatione thermarum plus incaleſceret, idipſum tamen acidularum vſu egregie corrigi poteſt. Ad hæc, externa topica ſimul adhiberi poſſunt, quæ ipſum epar defendant. Secũda obiectio exemplis deducitur, *quod in pluribus expertũ fuerit, eas iiſdem ſummo exitio fuiſſe.* Reſpondeo, argumenta iſta valere, ſi omnia in omnib. cõuenirent, ſed iſtæ perſonæ ſine dubio ſimul fuerũt aſthmaticæ, aut alio pulmonum & thoracis vitio laborarunt, quibus affectibus thermæ iſtæ plane nõ conueniunt: Hic autem per Dei gratiam horum nullum eſt, poterunt ergo ſine vllo metu & noxa vſurpari. Ad cerebri corroborationem tandem deueniendum eſt, quod facile aquis capitalibus poſtmodũ fieri poterit, potiſſimum; cum epatis intemperie contemperata, idipſum, colluuiem humorum eo tam facile tranſmittere

tere non poterit. Quod venenatas reliquias, quæ ſiniſtrum latus afficiunt, attinet, poterit id poſt vſum vniuerſalium, repetito vſu lapidis Bezoardici, corrigi.

Extremum locum curationis reſtaurationiæ, articuli & totius corporis habitus exterior, obtinet. Ligamēta enim, tendines, nerui & muſculi qui articulos ambiunt & vinciūt, reliquiq; totius corporis muſculi, cum affluxione humorū nimium ſunt relaxati & refrigerati, omnino reſtauratione caloris & adſtrictione opus habent. Niſi enim arcte iterum conſtringantur, & calore adiuuante in ſuo robore conſeruentur, nulla ſpes eſſe poterit, Illuſtriſſimum Principem vllis temporib. ab influxionibus fore liberum aut immunem; cum partes illæ relaxatæ & calore orbatæ, omnib. fluxionum impulſib. expoſitæ, eiſdem, ꝑpter caloris & adſtrictionis defectū, reſiſtere non valeant. Vt igitur partibus illis calor & adſtrictio conueniens iterum reſtituatur, thermæ omnibus aliis adiumentis erūnt præponendæ. Nam cum acuitatem exſiccandi & calefaciendi

ſtrenuam obtineant, vtrumque egrē-gie prēſtare poterunt. Modum inſiden-di in thermas, acidulaſq; bibendi, nunc exacte præſcribere non licet: cum me-dici præſentes ad circumſtantiarum va-rietatem ſe accommodare cogantur.

Hæc ſunt fere, quæ de Illuſtriſſimi Principis affectibus præternaturalibus & morboſis, eius Celſ. complexione & temperamento, deniq; etiam curatio-ne, pro exigui ingenii mei tenuitate, cum humili reuerentia in vnum collegi & conſcripſi: Hoc vnum ab Illuſtriſſi-mo Principe, humilime & ſubmiſſe pe-tens, vt thermarum & acidularum vſum procraſtinare nolit, firmiſſime confi-dens eorum applicationem Illuſtriſſi-mæ eius Celſ. fore frugiferam & ſaluta-rem, quod faxit Deus.

*Balduinus Clodius Medicus Chymi-cus Carolicaſtren-ſis ordinarius.*

NOTA.

D*Vbito an Illuſtriſsimus Princeps huic præſcripto conſilio per omnia paruerit:*

*Hoc*

*Hoc equidem ſcio, ſuam Celſ. ad thermas Badenſes Marchicas ſe contuliſſe, eaſque iniectis ſubinde aliquot libris Vitrioli, conſtanter vſurpaſſe, vnde inſignis & notabilis totius corporis excoriatio ſucceſsit. Acidulas vero Grisbachenſes ad quinque ferme miliaria in dictas thermas, illatas, nec ordine nec perſeueranter, ſed ad beneplacitum bibitas eſſe, audire memini. Purgans medicamentum quale fuerit, incertum eſt. Ex Illuſtriſsimi quidem Principis relatione accepi, ſibi ſedecim pilulas chymicas ſucceſsiuis temporibus deglutiendas, exhibitas & vſurpatas eſſe. Fuerunt qui affirmarent admixtionem Mercurii, certis ſignis in pilularum probatione, deprehenſam eſſe, de quo ſemper dubitaui, mihique perſuaſi, a quibuſdam maleuolis illud in odium Medici excogitatum & Illuſtriſſimo Principi perſuaſum fuiſſe. Quantum etiam ex præſcripto conſilio, aliorumque relatione colligere licet, eo tempore nec fuit illa inambulandi impotentia, nec calculi dolores exſtiterunt. Vt vt hæc ſe habeant, cum pro animi ſententia & ſpe concepta, non ſuccederent omnia, factum eſt, vt chirurgus quidam Argentinenſis Rudolphus, homo inſigniter temerarius, magnificis verbis, ma-*

gniſque pollicitationibus, ita ſe inſinuaret Illuſtriſſimo Principi, vt is ſui corporis curam, nō imperito quidem chirurgo, ſed rerum medicarum imperitiſsimo committeret, eoque magis, quod externis potiſſimum inunctionibus, a quibus, vt illud hominum genus iactitare ſolet, nullum periculum ſit pertimeſcendum, ſuam curationem abſoluere recipe- ret. Hinc ad inunctionem ex hydrargyro deuentum eſt, & quo copioſior apparuit ſaliuatio, eo maiori audacia inungendo perrexit. Finito inunctionis tempore, omnia ſymptomata exaſperata ſunt, pedumque infirmitas eo proceſſit, vt paulo poſt ſua Celſ. nec inambulare, nec ſtare ſola potuerit. Denique, quod doloris in ſiniſtro latere derepente facti, mentio fit, quaſi a veneno aliquo exhibito excitatus ſit, de eo Principem nunquam conquerentem audiui, nec ego quicquam animaduertere potui. Fuerunt equidem aliquando ſcelerati quidam venefici, magnis ſumtibus ex Italia euocati & conducti, vt Illuſtriſſimum & magnanimum Principem, longiſsima vita digniſsimum, venenatis potionibus e medio tollerent, quod etiam ipſi omni ſtudio diuerſis in locis efficere conati ſunt, comprehenſi tamen

&

*& examinati, conſtanter ad extremum vſque ſupplicium conteſtati ſunt, ſe nihil quicquam ſua Celſit. Deo ſic gubernante, propinare potuiſſe. Attamen non ſolum Illuſtriſſimus Princeps, in ea quandoque ſententia eſſe ſolebat, pleraque ſymptomata a veneno ignoranter accepto, prouenire, ſed Medicorum etiam nonnulli, arthritidis cauſſam veneno exhibito imputarunt. An vero venenum ſemel acceptum, interdum quieſcere, per interualla vero arthritidem mouere poſſit, in quaeſtionibus meis medicinalibus, pluribus diſcuſſum habetur.*

## *Conſilium II.*

ILluſtriſſime Princeps, Veſtræ Celſ. ego captiuus officia mea poſſibilia humilime defero, Deumque precor, vt Soli iuſtitiæ Ieſus Chriſtus, qui per claritatem Stellæ, magos Orientis ad ſe perduxit, omnibus veſtris conatibus, fœlices progreſſus largiatur. Amen.

Vulgare eſt apud Medicos axioma, *cognita cāa curantur morbi*, ꝓpterea opus eſſe video vt cāæ podagræ inueſtigētur.

Priuſquam autem hoc opus ſuſcipiam, generale omnium Medicorum fundamentum ponam: *Tollere nodoſam neſcit medicina podagram.* Huic addo, *artis non eſſe, ad curandam podagram, variis cibis interdicere.* Summopere igitur Medicos demiror, quod curationem podagræ inſtituere conantur, quæ tamen proprio illorum teſtimonio eſt incurabilis. An non hoc ipſum eſt patientes, Principes potiſſimum, ludificare & pecunia emungere. In mẽtem hic mihi ſuccurrit colloquiũ cum *D. Stromeyer* aliquando habitũ, qui mihi dixit, vulgares chirurgos & lithotomos vt plurimũ omnes eſſe impoſtores & mendaces, & temeritate quadam miſeros homines incidere, mortis periculo prius denuntiato, cum tamẽ ſi artifices eſſent & ſecundum anatomiæ & chirurgiæ peritiam procederent, tali denuntiatione & præoccupatione opus nõ eſſet, cum ſecundum artem non niſi felix euẽtus ſit exſpectandus. Se quidem aliquot hominũ centena feliciter ſecaſſe ſine vlla præoccupatione, & vnicum ſaltem puerum aliquando exſpiraſſe, nõ quidem, quaſi

ex

ex arte inciſus non fuerit, ſed quod parentib. profundiorem ſectionem non ferentibus, mos gerendus, & ab opere recedendum fuerit. Pari pacto exiſtimo, Doctores illos, qui Doctores eſſe volunt, grauiſſime interdũ errare, quod morbos aliquot incurabiles eſſe iudicent, qui tamen a Doctoribus curãtur.

Quamuis igitur profeſſione Medicus non ſim, ſed indignus Theologus, minime tamen erubeſco, palam affirmare verſiculum de podagra falſum eſſe. Scio enim podagram adhibitis adhibendis, & ſeruatis vtrinque tam a Medicis quam patientibus, ſeruãdis, omnino curabilem eſſe. Idem de Hydrope, Epilepſia, Paralyſi, aliiſq; morbis, niſi omnino inueterauerint, iudicium facio, ſancteque affirmo me plurimos curaſſe morbos, quos alii Medici incurabiles putarunt.

Quin imo me ipſum a podagra ita vindicaui, vt in annos 18 immunis ab eiuſmodi doloribus fuerim, niſi quod in hac turri Baſilienſi, vbi captiuus teneor, iterum me inuaſerunt. Modum certe haberem, quo denuo me ab iſtis dolo-

ribus vindicarem, ſi Veſtra Celſ. mihi Clementiſſimus Medicus foret, meque e vinculis liberaret, q; vt fiat, per Deum oro, vt & mihi & aliis prodeſſe poſſim. Sed vt ad putridum Medicorum fundamentum redeam, mihi ex SS. ſimilitudo occurrit: Quemadmodum enim populus Dei gigantem Goliath inuincibilē eſſe credebat, quem tamē Dauid facile ſuperabat, ſic multi morbi incurabiles creduntur, qui tamen arte curari poſſunt. Talis Dauid fuit *Fierauantus* Medicus. Plurimos etiam podagricos curaui Zefridus Bornius, adhuc forſan ſuperſtes, quos podagra nunquam iterum inuaſit. Quapropter Medicis iſtis hunc verſum contrarium dono.

*Neſciat indoctus Medicus curare podagram,*
*Quā ſciet expertus Medicus curare podagram.*

Legantur opera Bornii, vtpote *flagellum Medicorum, fulmen Medicorum*, & *il Melampegio*, vbi talium Doctorum inſcitia & fraudes ad viuum depinguntur. Sed tenebo me, nec illos deprehendendo me laudabo: Medicus non ſum, qui quæſtui inhio, pace tamen illorum & mea, & citra iactantiam, vidi & exper-
tus

tus ſum modum curandi ex eadem affectione & cauſſa ortos morbos, taleſq; rationes habeo, quas nemo impugnare nouit. Poſitis igitur iiſdem cauſſis, quib. ego in podagram incidi, deſignabo Veſtræ Celſitudini modum, quo me ipſum iuui. In præſentia ſufficiat infirmũ Medicorũ fundamentum oſtẽdiſſe. Poteſt quidem tales radices agere podagra, vt vel nulla arte vel difficulter curetur, nec tñ in tali quoq; caſu deſpero, modo vires & ætas non obſtent. Noui quoſdam, qui multis annis, lectulis affixi fuerunt, beneficio tamen olei & aquæ Helueticæ reſtituti. Quod ſi partes corporis principales, vt *ſtomachus, epar, ſplen, pulmo, cor, renes & caput ſanari poſſunt*, certum eſt etiam articulis, qui motum, ſenſum & nutrimentum ab illis obtinent, ſubueniri poſſe, ſi modo articulos nulla occupauit contractura, ſi nulla ſectione vel vſtione articuli corrupti fuerint.

Nunc de ſecundo, *an recto victus regimine, podagra curari poſſit*, item *an error in victu cõmiſſus podagram faciat?* Hac quoque in parte ridiculum fundamentum

ſentio. Si enim piſces podagram faciunt, ſequetur piſcatores alioſque maritimos homines, qui ſolis fere piſcibus aluntur, podagricos fieri: Sed conſequēs eſt falſum. Ergo & antecedens. Eſt igitur medica, ſuperſtitio ne dicam, inſcitia, ſimpliciter hos vel illos cibos prohibere. Negari nequit, eſſe quoſdam cibos, qui præ reliquis catarrhos gignant, & materiam podagræ ſubminiſtrent, illis tamen abſolute interdicere, valde ridiculum eſt. Sic quamuis gallinæ, capones, anſeres, anates, quia otioſa ſunt animalia, plus excrementi gignant, nolim tamen ægro quicquam denegare, modo frugalitatis metæ non excedantur. Quod quæſo cibi genus a porco & coruo reſpuitur, quorum tamen neutrum podagra corripitur. Sed Celſit. veſtram hac in parte pluribus detinere nolo.

In tertia parte, Medici fere omnes in eo conueniunt, cauſſam podagræ eſſe humores ex capite defluentes, qui vt varias partes occupant, ſic diuerſæ fiunt morbi appellationes. Ego huiuſmodi defluxiones ab ea materia denominarem, in quam tādem degenerant: Cum

vero in tartarum ſeu calculum tandem degenerent, niſi artis opera reſiſtatur, malim morbos iſtos *tartareos* appellare. Nullum enim noui podagricum, qui tandem non laborauerit calculo: Deinde quia in locis, in quibus vina tartaroſa & calculoſa proueniunt, vtpote in Auſtria, Vngaria & Comitatu Tyrolenſi, ingens contractorum & podagricorum numerus reperitur, præſertim apud eos qui poculis certant, corporiſq; exercitia vel negligunt vel habere nequeunt. Ceterum tartarus ſeu calculus non ſolum in renibus & veſica, ſed partibus etiam principalioribus ſedem figit, quod Fuchſius erudite monuit. Maximilianus 2. Imp. qui podagra laborauit, in ipſo corde calculos habuit, qui poſt obitum reperti fuerunt. *Dominus de Pollvveiler* in capite, & veſicula fellis calculos habuit, quorum videndorum copiam mihi fecit Medicus Lotharingicus. In renibus Alberti Ducis Bauariæ, magni calculi reperti ſunt. Straubingiæ diuitem noui ciuem *Michaelem* Bawr/qui calculos ex pulmone per tuſſim reiecit. Mirum igitur non eſt calcu-

los quoque in articulis fieri, quorum multos, diſruptis articulorum iuncturis, meis oculis vidi. Diſſectis etiam caponibus & gallinaceis podagricis, tophi & calculi in eorum articulis reperiuntur. Quemadmodum igitur calculus non ſimpliciter ex cibo & potu, ſed ex frigore & otio, item ex indigeſtione humorum, nimio calore, exceſſu in cibis generatur: ſic etiam podagræ generatio fieri ſolet. Hinc firmiter credo vnam & eandem materiam eſſe calculi & podagræ, vnde quicquid prodeſt ad calculum, idem etiam ad podagram confert, vtpote ſunt olea illa, quæ Veſtræ Celſ. ſignaui. De lapide nephritico hoc affirmo, ipſum inſignem virtutem habere, non ſolum ad calculum, ſed etiam ad podagram. Memini me eiuſmodi lapidem armillis inſertum donaſſe cuidam fœminæ podagricæ & calculoſæ, quæ ex ſola geſtatione plurimum fuit adiuta. Quapropter Veſtræ Celſitudini fideliter & humilime conſulo, vt curationi meæ fidem habeat, primumque vſurpet enema deſignatum, quod conducet ad anteuertendũ tempus vltimæ

qua-

quadræ lunaris, quo tempore Veſtra Celſ. conſueto morbo corripi ſolet. Ad enema enim & ſudores, materia hinc inde diſpergitur, vt paroxyſmus podagricus plurimum eneruetur & minuatur. Deinde vtendum eſt oleo & aqua, quæ duo miraculoſe opitulantur. Cras, Deo dante, conficiam duas aquas ad roboranda omnia viſcera principalia, vireſque reſtaurandas. Prius tamen enema applicetur, vt ante monui, non per Syringam, ſed per veſicam. Si enim per Syringam applicatur, multi flatus ſimul pelluntur in corpus, qui, ſi enema per veſicam applicetur, commode excludi poſſunt. *6. Iannarii An: 1599. Durlaci, in turri Baſilienſi.*

*Veſtræ Celſ.*

*Humilimus*

*Franciſcus Bornius Hiſpanus de Madrigal Theologiæ Doctor.*

## NOTA.

*DE prænominato D. Franciſco Bornio hoc adiiciendum eſſe putaui, ipſum titulo & profeſſione Theologiæ Doctorem & Canonicum Badenſem fuiſſe: Fama autem Medicum fuiſſe celebrem, ex eo patet, quod tantopere Illuſtriſſimo Principi commendatus fuit, quaſi ab eius conſilio, certa recuperandæ valetudinis ſpes exſpectanda foret. Qualis autem reuera in arte medica fuerit, conſilia teſtatum faciunt, quæ propterea inſerenda exiſtimaui, vt non ſolum veritas carminis conſtaret:*

Fingunt ſe Medicos quiuis Idiota, Sacerdos;
Effrenis Monachus, plenaq; fraudis anus.

*Sed etiam propter antiquum illud Hippocratis dictum, multos ſcilicet famâ & nomine, paucos vero re ipſa Medicos eſſe. In vita quã impudicus fuerit; teſtatur carcer, cuius liberationem in conſiliis Medicis fruſtra hactenus poſuit. An ſua Celſ. medicamenta ab ipſo praſcripta, vſurpauerit, compertum non habeo: tegebantur enim omnia, nec mihi de iis ſolicite inquirere fas fuit. Abſurdas. Argumentandi rationes & contradictiones luce clariores eſſe puto.*

Con-

## *Continuatio prioris conſilii.*

ILluſtriſſime Princeps, Veſtræ Celſ. miſer ego captiuus omnia ex animo precor, quæ ad animæ & corporis ſalutem conferunt: Quandoq; Veſtra Celſ. remedia contra podagram clementer a me deſiderat, mihiq; ſpem gratiæ conſequendæ facit, omni ego diligẽtia non ſolũ propter promiſſam gratiam, quam humilime accepto, maximiq; facio, ſed etiam ex obligatione Chriſtiana, remedia petita deſignabo: Quod ſi Veſtra Celſ. felicem medicamentorum operationem morbiq; emendationem ſentiet, aliaque medicamenta deſiderabit, pari fidelitate & diligentia deſignabo, quamuis ego ipſe medicamenta præparare malim, & iſtum patientem curare, vt Veſtra Celſit. experientiam in aliena cute intueri poſſet. Morbi iſti ſunt curatu difficiles, & ægrorum præſentiam, complexioniſque cognitionem requirunt. Attamen oleum Philoſophorum hoc modo paratur; ℞ *tegulas in igne fiant ardentes vel igniti, deinde exſtinguantur in oleo communi antiquiſſimo, deinde*

*iterum igniantur & exſtinguantur in dicto oleo, denique tegulæ comminuantur, vt in retortam commode capi poſſint, & affunde reſiduum olei, in quo exſtincta fuerunt, optime lutetur retorta luto ſapientiæ, quando lutum induratum eſt, admoueatur igni, primum effluet oleum ſimplex, quod colligatur ſeorſim*, cuius vſus eſt ad ſananda vlcera: Deinde augeatur △, ſic effluet *oleum aurei coloris*, quod etiam ſeorſim colligatur, cuius vſus eſt in prædicto morbo, & in aliis, quos Fallopius deſcribit. Tandem extreme augeatur △. tertium oleum promanabit, quo Veſtra Celſ. opus non habet, Fallopius tamen eius vſum docet. Secundo oleo leuiter inungi debent iuncturę podagricorum, cito penetrat, propter miram ſubtilitatem, huiuſque olei cita penetratio, eſt q. vehiculum ſequentis aquæ Heluetica. ℞ *bonum vinum rubrum, in quo per horas 24. maceretur ſtercus vaccinum, menſe potiſsimum Maio collectum, fiat deſtillatio.* In hac aqua madefiant linteola, quæ prædictis iuncturis iam inunctis applicentur: Linteola innouentur, oleum vero ſex horarum ſpatio ſemel inungatur.

Ve-

Veſtra Celſit. mihi credat, hæc remedia licet ſimplicia ſint; mirabilem tamen vim habere; nec cum ☉ nec cū ☾ comparanda eſſe. Verum quia artis non eſt, morbū repuliſſe vel repreſſiſſe, ſed expuliſſe, ideo poſt tres dies vtendum eſt purgatione *de rad. Mechoac. vel Elect. roſ.*

Vinum cum ſit materia podagræ, ideo abſtinendum ab eo; niſi ſit bene defecatum & purum, cui inſit lignum Saſſafras, quia hæc radix inſigniter pellit calculū & proinde materiam podagræ. Fiorauantus omnibus podagricis cauendum eſſe monet a *caponibus*, *anſeribus*, *&c.* hac in parte nolim ego tam ſcrupuloſus eſſe. Frigus ad podagram multum facit; ideo vitandum. In victum frequenter veniant *Petroſelinum* & *Naſturtium*: pellunt enim calculum. Idem præſtant omnia diuretica, quæ in complexione ſua neque nimis calida ſunt, neque nimis frigida & viſcoſa. Vitentur omnes cibi viſcoſi, ſaliti & difficilis digeſtionis. Singulis denique anni temporibus corpus purgetur. Plura ſcribere non poſſum propter incidentes tenebras, cras ſi viſum fuerit

Veſtrę Celſ. eā deſignabo remedia, quæ dolorem in paroxyſmis podagricis demulcent. In hac parte mihi conferrent Fierauantus, opera Fallopii & Zefiridi Bornii, quos auctores mihi mitti humilime oro.

*Veſtræ Celſ.*

*Humilimus*

*Franciſcus Bornius Theolog. Doctor.*

## *Continuatio.*

ILluſtriſſime Princeps optarem Veſtrā Celſ. heſterna die admiſiſſe, clyſterē; vt vt ſit, cū intelligam totum corpus V. Celſ. omnino emaciari, vt caro quaſi diſparuerit. Itē quod Veſtra Celſ. longo tempore non potuerit ſtare aut incedere, appetitus deſtruatur, a medicamentis potandis nauſeam habeat; quodque vigiliæ moleſtent, &c. Omnia illa ſignificant principalia viſcera partim humoribus corrupta & debilitata partim etiam non neceſſariis, imo perniciosis pharmacis exhauſta eſſe: vnde

ex

exteriora membra necali, nec munus ſuum obire poſſunt. Hinc etiam lunares iſtæ paſſiones & cruciatus articulorum ad vltimam Lunæ quadram vt plurimum recrudeſcũt. Quapropter blandiſſimis omnino medicamentis corpus purgãdum. A potionibus abhorret Veſtra Celſ. Ideo propoſui clyſterem, quãuis ſi vires ferrent, fortioribus medicamentis opus eſſet, quorũ tamen vicem, repetiti clyſteres ſupplebunt. Vomitus etiam conferret, ſi virium conditio ferret. Poteſt quinetiam corpus per quaſdã externas vnctiones purgari. Vtilius tamen erit enema, quod nõ ſolum per octiduum alternis diebus vſurpandum erit, ſed in poſterum etiam in frequenti vſu eſſe debet. Aduentantibus doloribus podagricis, vtendum eſt omnibus iis remediis, quæ dolorem mitigant, vt ſunt narcotica, anodyna & ſcarificationes. Poſt paroxyſmum, vtendum eſt oleo Philoſophorum & aqua Heluetica. Denique natura erit adiuuanda quadam aqua, cuius præparationem ſubiiciam. Accipiatur *vitulus maſculus nigri coloris per totum, trium vel quatuor ſepti-*

*manarum:* Si niger haberi nequit, ſumatur rubei coloris, ſed ita, vt vnius ſaltem coloris ſit per totum, mactetur & colligatur ſanguis, deſtilletur in balneo Mariæ ſine additione, quia vrtica minima nunc haberi nequit, quæ alioqui adiicienda eſſet. Deinde accipiatur, *cor, pulmo epar, cui adimatur veſicula fellis, item lien, item fol. Sal. min. Hyſſop. Pulmonariæ quercinæ quæ ſurſum creſcit, non quæ deorſum vergit, (hæc enim alias habet vires) an. m. ij. pro quolibet viſcere.*, incidantur ac ſi puls paranda eſſet, ſic putreſiant per diem & noctem, deinde deſtillentur in balneo Mariæ. Cum priori aqua, omnia membra corporis, quaſi illinantur ad ignem, ſemel vel bis in die. Alterius aquæ, ſingulo mane, ieiuno corpore ſumatur vncia vna. Poterit etiam ad præcauendam nauſeam prius maſticari *Gariophyllus.* Facta illinitione ex aqua e ſanguine deſtillata, poſtquam per ſe ſiccata fuerint omnia membra, debent ſuperinungi omnes iũcturæ oleo, quod deſignabo. Duæ prædictæ aquæ hanc habent mirabilem efficaciam. Prima elicit calorem naturalem, & ſanguinem

nem intra carnem & cutem, ita vt caro renaſcatur, & æger priſtinas vires recuperet. Altera aqua reparat conſimilia membra interiora principalia. Huius aquæ vſus eſſe debet menſe Octobr. huius anni 99. item altero anno menſe Martio & Nouembr. Proſunt etiam ſudores frequentes excitati in tina ad vaporem calidum, vt caput emineat: Huiuſmodi ſudores longe præfero thermis, quæ propter fortiſſimorum metallorũ mixturam, ſæpe plus incommodi quam commodi pariunt. Teſtari poſſum me plures cõtractura laborantes ſolis ſudoribus curaſſe: Quia vero ſuſpicor Veſtram Celſ. propter virium imbecillitatem ſudores ferre non poſſe, ideo erit vtendum prædictis aquis. Multos etiam paralyticos & contractos curaui ſola vrtica minima, membra flagellando. Poſt ſudorem corpus inungitur hac inunctione, quam miſer ego in menſem vigeſimum tertium nunc captiuus Veſtræ Celſit. reuelabo, humilime rogans vt me clementiſſime ex hoc carcere tandem liberet, & arcanum meum remedium aliis

quæſtuoſis & lucro deditis hominibus, minime communicet.

♃ *Ping. Ardeæ, Lutræ, quia hæc animalia piſcibus veſcuntur, repræſentant quaſi oleum piſcium, diſtillentur per duos alembicos, aereum ſc. & terreſtrem, per aſcenſum & deſcenſum.* item *ping. vulpis, cati ſylueſtris,* hæ duæ pinguedines habent in ſe proprietatem alimenti ſui, ſuntq; magnarum virium & contemperatæ quaſi in reuerberatorio: item *ping. Taxi habentem proprietatem reptilium*, hæc pinguedo mirabilem habet vim curandi paralyſin: Quia vero Taxi nutriuntur lumbricis, ideo eligo pinguedinem iſtam. Item *ping. Vrſi* in qua mirabilis vis eſt conſolidandi, nullum enim animal ſauciatum facilius Vrſo curatur: Vrſus cum alatur melle, mel vero ſit deterſiuum & ſanatiuum, fit vt iſtius animalis pinguedo ad conſolidandum ſit præſtantiſſima. Itẽ *ping. hominis* quæ adiicitur propter conformitatem naturæ. Item accipiantur *tres medullæ Tauri, Cerui & Equi*, quia hæc animalia ſunt robuſtiſſima, ideo medullæ iſtæ confortant. Purificentur pinguedines ſeorſim, deinde vniuſ-

cuiuſ-

cuiuſque quatuor vnciæ ſumantur, *ping. vero Ardeæ & Lutræ vnciæ duæ*, miſce in cacabo, adde *olei bac. iunip. vncias quatuor*, item *olei Balſami Indici, vncias duas*, Miſc. & ſeruetur ad vſum.

## NOTA.

*QVod de tabe & conſumtione corporis hic dicitur, nihil eſt. Corpus enim Illuſtriſsimi Principis in hoc vſque tempus pingue eſt, muſculoſum & bene habitum. Quin imo, ſingulari Dei beneficio ſtatim poſt paroxyſmos tam calculi, quam Arthritiâis, adeo floridum, pro ratione temperamenti, adeoq; refectum cernitur ſuæ Celſ. corpus, quaſi nullos dolores perpeſſum fuerit, quod ſæpe ſummopere ſum admiratus. Pedes tamen ſoli contabeſcere videntur, niſi quod circa tarſum & malleolos, flatibus & humoribus incumbentibus turgere ſolent.*

## *Continuatio.*

ENemata præfero potionibus purgantibus. Enemata enim per aluum regrediuntur, de potionibus manent reliquiæ in ſtomacho, quæ corpus debilitant. Neque eſt, quod Celſ. V. prætenC 5

dat flatus, bonum enim ſignum eſt, ſi flatus ſentiuntur: eſt enim indicium, materiam flatuum reſolui ab enemate. Oleum purgans tale eſt, quo regio vmbilici inungatur. ℞ *Aloes Epat. libram vnam, Myrrhæ vnciam vnam ſemis, affunde aliquid de Spir. vini, in eum ſaltem finem, vt ſurſum aſcendat in retorta, ad ignem ponantur & deſtillentur.* Aliud. ℞ *Ligni aloes, Cinamom. Turpeti an. vnciam j. Aloes Epat. Colocynth. an. vncias ij. Gariophyll. Croci an. ſcrup. iij. Moſchi, drachmam j. ponantur in vitrum capax, affunde Spir. vini rectificati libr. ij. ſtent per aliquot dies, deinde adde iulepi violati libr. j. ſtent iterum per dies aliquot, deinde fiat colatura.* Huius eſſentiæ purgantes tres vel quatuor drachmæ cum brodio ſumtæ, purgant.

## *Continuatio.*

ILluſtriſſime Princeps Medici Phyſici officium eſt primum inquirere morborum cauſſas, deinde accommodata remedia præſcribere. Quia vero Veſtra Celſ. deſiderat remedia ad reprimendũ immanem morbum, morem ei humi-

ime geram: eſſet tamen conſultum me præſentem corpus intueri, quam abſentē deſignare remedia. Quia vero Veſtra Celſ. meam præſentiam ferre nequit, fiat Dei voluntas & Veſtræ Celſ. Oro autem Celſ. V. vt candelas mihi ſubminiſtrari clementer mandet, nequeo enim ob dierum breuitatem libros Italicos euoluere, ex quib. ſelectiſſima quæque deſcribere cupio: Equidem non video quid mali in meo carcere per candelas facere poſſim. Poterit Veſt. Celſ. mea pharmaca in aliis hominib. experiri, obſeruabit magnã eorũ efficaciam.

## *Narcotica efficaciſsima.*

EFficaciſſimum ante omnia alia, eſt Ladanum illud cuius cõpoſitionem Veſtra Celſ. manu D. Piſtorii conſignatã habet. Miraculoſam huius medicamenti vim ante annos 18. mihi dixit *D. Stromeyer.* Alteram probationem vidi Ingolſtadii apud D. Menzelium. Tertiam probationem ipſe in variis perſonis vidi: Tria vel quinq; grana non trãſcendo. Quando tamen dolor remiſit, inſtandũ eſt medicamentis purgan.ib.

## *Alterum.*

ACcipe hyoſciamum album cum ſemine circa feſtum S. Iohannis collectum, minutim incidatur, deinde coniiciatur in fictile nouum, cui ſubiiciatur alterum eiuſdem capacitatis vas, craticula diſterminante vtrumque vas, deinde muniantur & lutentur labia vaſis vtriuſque, & ſic ſtare permittantur vſque ad ſolſtitium hybernum: tunc in vaſe inferiore reperies liquorem inſtar olei, quo partes dolentes foueri & inungi debent. Nec moueat veſtram Celſit. huius herbæ malignitas & venenata qualitas. Extrinſecus enim ſine omni periculo vſurpatur. Sic ſtillatitia aqua hyoſciami cum aqua roſarum feliciſſime vſurpatur loco Epithematis ad conciliandum ſomnum. Quinetiam fumus excitatus, ſemine hyoſciami ſuper carbones poſito, & in dentem dolentem miſſus, dolorem miraculoſe ſine periculo compeſcit, ita tamen ne fumus per fauces ingrediatur in corpus.

## *Tertium.*

TErtium eſt aqua ex ſpermare ranarum

ꝛum deſtillata, quæ eodem modo vſurpatur. Hoc medicamentum ſine omni eſt periculo, cum & ipſæ ranæ comedātur. Hæc remedia ſimplicia ſunt, ſed reuera vtiliſſima. Quis vnquam credidiſſet, tantas vires ineſſe aquæ Helueticæ, quantas D. Piſtorius mihi indicauit.

## *De Anodynis.*

PRimum eſt linimētum paratum ex ſapone Veneto cum Spir. vini, cuius vires in meo corpore expertus ſum, inungendo dolentes articulos, vel ℞ *Saponem Venetū in minutas laminas ſectum: item Spiritum vini, & deſtillentur in balneo Mariæ, primum prodit* ▽, *deinde oleum aurei coloris, ſeparetur aqua ab oleo & ſeruetur ad vſum.* Sunt etiam variæ pinguedines anodynæ, vtpote *ping. Lutræ, Cati ſyluestres, Vulpis, Vrſi, Taxi.* Sunt item pinguedines, quæ per elixationem animalium colliguntur. Sume *vulpem pinguem, confringantur ei oſſa, deinde coquatur & pinguedinem ſupernatantem collige.* Alii accipiunt *anſerem pinguem infarctum pinguedine canina, aſſando anſerem, ſuperaffundunt de eadem pinguedine canina, donec an-*

*ſer exaſſatus eſt, colligatur iſta pinguedo ad vſum.*

Quando vſu narcoticorum & anodynorum dolor factus eſt mitior, tunc tempus eſt, vt hoſtis inter carnem & cutem latens, vſu veſicantium medicamẽtorum foras euocetur: Vtque magis hoſtis ille oppugnetur, inſtandum eſt clyſteriis & purgationibus. Forma purgandi nuper eſt præſcripta, clyſter vero recipiat *Flor. Chamæm. Herb. Agrimon. Malua, Althea & Mercurialis an. m. j. coq in iuſculo hordei, ℞ colaturæ iſtius lib. j. olei com quartam partem ad brodium olei Chamæm vnciam j. Miſce, fiat clyſter.*

*Veſtra Celſ.*

*Humilimus*

*Franciſcus Bornius Theologiæ D.*

## *Conſilium tertium.*

ILluſtriſſime Princeps quantũ hactenus mihi obſeruare licuit, varia quidem & diuerſa ſunt ſymptomata, quæ

Veſtr

Veſtram Celſ. grauiſſime afficiunt, hæc tamen in duas quaſi claſſes referri poſſunt: Alia enim non perpetua ſunt, ſed per interualla recurrunt: Alia fixa ſunt & permanentia. Ex iis quę per interualla recurrunt, ſunt potiſſimum dolores articulorum & calculi renum. Articulorum dolores interdum ſequuntur ipſum calculum, interdum ſine calculi doloribus inuadunt. Articulorum doloribus obortis alia ſymptomata ſuccedunt, compreſſiones ſcilicet cordis, anguſtiæ & terrores, tremores item ſeu horrores potius, qui Veſtram Celſitudinem ita quandoq; concutiunt, vt lectus commoueatur, & adſtantes miniſtri vix manibus motum iſtum, quem Veſtra Celſitudo *tremorem* appellat, cohibere poſſint. Inſomnia præterea & grauiſſima animi deliquia inferuntur. Adeſt interdum alui profluuium, quod vt plurimum ſuperuenit, quando dolores iam remittere incipiunt. Calculus interdum maiores, interdum minores cruciatus parit: Illi ipſi calculi, qui hactenus cum magna arenę flauę & aureæ copia excreti ſunt, quãuis raro ſpõ-

gioſi & friabiles eſſe videntur, ſunt tamen reuera tractu contumaces, nec facile digitis conteruntur. Horum item alii flaui ſunt, alii pallentes, alii magis aurei coloris. Formam quod attinet, alii ſimplices ſunt & læues, alii aſperi, acuti & inæquales. Magnitudo eadem omnium nō eſt, ſunt tamen qui ſemen phaſeoli magnitudine ſuperant.

Fixa & perſeuerantia ſymptomata ſunt, incedendi & inambulandi impotentia, quæ nunc tertium annum excedit, vt Ce ſit. V. etiam extra paroxyſmos ne ſola quidem ſtare pedibuſque inſiſtere poſſit: Item vlcuſcula quædam in infima pedum parte, potiſſimum circa malleolos. Hæc vlcuſcula interdum acrem & mordacem, interdum minus acrem liquorem fundunt. Apparent præterea maculæ nigricantes, quæ tamē, vt ex relatione Veſtrę Celſ. accepi, reliquię ſunt, & veſtigia partim ab vlcuſculis, partim etiam a morſibus cati ſylueſtris, aliiſquę ictibus, relicta. Horum autem ſymptomatum nulla curatio inſtitui poteſt, niſi ſingulorum cauſſæ, & partes principaliter affectæ inueſtigentur

tur. Huiuſmodi porro inueſtigatio ſine conſideratione temperamẽti aliarumque circumſtantiarum & naturalium proprietatum fieri nullo modo poteſt.

Temperamentum totius corporis, teſte *Galeno*, depẽdet ex craſi trium præcipuorum viſcerum *Cordis, Cerebri & Epatis*. Cor calidum eſſe & humidum apparet ex ampliſſimo thorace ſeu pectore pilis denudato; caloris ſiquidem eſt, partes extendere, humiditates autem, materiam humidam ad extenſionem ſuppeditare. Cerebrum frigidum eſſe & humidiſſimum, docent catarrhi & dolores capitis grauatiui, antehac frequenter incidere conſueti, caput item amplum pilique molles. Epar in paſſiuis qualitatibus humidiſſimum eſſe, omnibus conſtare arbitror, eſt enim corpus obeſum, caro mollis, aluus, humida & laxa, venæ humoribus tumentes, item promtitudo ad ſudandum. Dubitare tamen licet, *an in actiuis qualitatibus calidum ſit vel frigidum*: In eam tamen ſententiam non ſine multis rationibus feror, epar eſſe moderate calidum. Quapropter cum iis mihi non conuenit, qui

epar exceſſiue calidum ſtatuunt, adeo quod epar, ratione nimii feruoris (cuius proprium eſt attrahere) cibum nondum elaboratum, & in ventriculo concoctum ad ſe rapiat, & in generando ſanguine ſit luxurians, cùm tamen illi ipſi, qui hæc fundamenta ponunt, mox cachexiæ mentionem faciant: Quam vero cachexia & epatis in generando ſanguine luxuries, hoc eſt, plethora, minime inter ſe conueniant ſimulque ſtare poſſint, omnibus eſt euidẽtiſſimum. Epatis igitur actiua temperies certis rationibus inueſtiganda & demonſtranda erit. Subtiles quidem iſti & acres ichores, qui ex pedum vlcuſculis promanant, ab epatis feruore generari videntur, maculæ item nigricantes eundem epatis feruorem atteſtari videntur. Denique vrina vt plurimum apparet magis colorata & ignea, quam alioqui totius temperamenti cõditio requirit. Verum iſtæ rationes facile impugnantur, ichores enim acres minime generantur in epate, ſed ex alimenti ad pedes delati corruptione: alioqui ſi in epate generarentur, totũ certe alimen-

tum

tum vitiaretur, nec nutritio totius corporis eo modo, vt videmus, procedere poſſet. Macularum generationem potius ad externas & euidentes, quàm ad internas & latentes cauſſas referendam eſſe, ſuperiora demonſtrant. *Denique* vrina non ratione epatis, ſed calidiſſimorum renum incenditur; vrina enim propter impedimentum calculi, diuturniorem moram intus trahit & proinde magis incenditur, ad hanc etiam confert frequens ſupra dorſum & renes decubitus. *Præterea* ſi epar ratione nimii feruoris, cibum crudum ad ſe raperet; multiplices perfectò, viſu & tactu perceptibiles tumores & ſcirrhoſæ obſtructiones, toto iſto triennio generatæ fuiſſent, cum vero hypochondria mollia ſint, de tali calore ſomniare non licet. Poſtremo certum eſt, qui calidiſſimum epar habent, eos macilentos eſſe, & vt plurimum paruæ ſtaturæ, cum vero veſtra Celſ. obeſum & molle corpus, ſtaturam etiam proceram habeat, epar moderate calidum eſſe, credere licet.

Renes ſine dubio ſűt calidiſſimi, par-

tim ex proprio ſuo temperamento, partim, etiam ex frequenti ſupra renes decubitum, qui mirifice, in mollioribus præſertim lectulis illis, renes incendit. Hinc beſtiæ, vt Ariſtoteles memoriæ prodidit, nec calculis renum, nec ſeminis profluuio moleſtantur, quia ſupra renes non decumbunt. Accedit etiam quod Veſtra Celſ. iure hereditario calidos renes & ad calculum diſpoſitos habet, cum intelligam Veſtræ Celſ. Illuſtriſſimos parentes, præter Arthritidem, calculoſis etiam & calidiſſimis renibus affectos fuiſſe.

Proinde dolor articulorum, quatenus dolor eſt, ab intemperie aliqua vel ſoluta vnitate, neceſſario dependet, ꝙ cum Galeno 2.loc.aff.cap. 5. Medici ad vnum omnes fatentur. Intemperies vero duplex eſt, alia ſcilicet ſimplex, alia cum materiæ affluxu: Sed cum in hoc caſu pars dolens in tumorem conſpicuum attollatur, non eſt dubitandum, quin dolor ille fiat ab intemperie cum materiæ affluxu. Materia affluens vel humoralis eſt vel flatuoſa. Verum cum tumor in hoc caſu ſit tenſiuus, tenſio

vero

vero a flatib. cutem extendētibus, fiat, in magnam flatuum cōiecturam deuenio. Verum enimuero cum flatus minime per ſe ſubſiſtant, ſed ex idonea materia humorali oriantur, cōſequens eſt, illam ipſam materiam inueſtigare. Cōſtat autem apud omnes, ex omnibus humorib. nullum eſſe magis idoneum ad generationem flatuum, ipſa pituita, hæc enim, ſuperueniente calore aliquo debili, in flatus promtiſſime reſoluitur. Accedit quod hæc ipſa pituita, in maiori copia quam par eſt, paſſim in Veſtra Celſ. animaduertitur, potiſſimum vero colligitur in capite, ex quo in ſubiectas partes effunditur: Caput enim teſte Hipp. *lib. de glandulis* eſt humoris pituitoſi metropolis & *Gal. 3. de ſymt. cauſſis*, nec non *cap. 8. de ſang. miſſ.* inquit, *caput totius corporis caminum, ad recipiendum quaſuis iniurias aptiſſimum & ad reiiciendum promtiſſimum eſſe.* Quapropter pituita plus iuſto aucta & in capite collecta, bilicoſoque humore comitata, interdum certis temporum interuallis, quandoque etiam incertis temporibus ad articulos manuum & pedum, a ton-

te caloris remotiores defertur, ibique partim ob copiam, membranas & ligamenta diſtendit, & ſic ſolutionem vnitatis, alteram nimirum doloris cauſſam, infert, partim etiam in flatus reſoluitur, qui magis magiſque cutem extendendo, parteſque neruoſas lacerando dolorem exaſperant, & tumorem conſpicuum excitant, flatus enim in parte aliqua concluſi, vehementiſſimos, *teſte Galeno 12. meth. cap. 8.* dolores pariunt. Hic vero ſpeculandi occaſio ſe offert, quæ nimirum cauſſa ſit, quod Celſ. veſtra interdum ferre poteſt, vt adſtantes miniſtri, vel manibus articulos dolentes premant, vel ſuper impoſitis culcitris arctiſſime contrahant, vnde leuamen percipitur, id quod alii Arthritici, citra inſignem cruciatum ferre nequeunt. Hac in parte duo ſuccurrunt, quæ reſponderi poſſunt, quæ ſi rei non ſatisfaciunt, fateor me cauſſam ignorare. Primum eſt, quod dolores a flatibus excitati, licet ſint vehementes, dum adhuc in ſpatiis exiguis ſunt concluſi, paullo tamen poſt, cute magis diſtenſa, hoc peculiare habent, vt manuum contre-

ctatio-

ſtatione, quaſi fomento aliquo addito, ſi non miteſcant, ſaltem non exaſpe-rētur, quod ipſum ſenſiſſe videtur Hipp. 2. *Epid ſect.* 6. Deinde qui Arthritide laborant, vt plurimum habent corpora emaciata, vt præter oſſa aridamque cutem nihil ſuperſit, adeoq; nullam compreſſionem citra inſignē neruoſarum partium dolorem, ſuſtinere poſſint: In Veſtra autem Celſ. corpus minime eſt emaciatum, ſed ſingulari gratia diuina, pingue beneque muſculoſum, ideoque compreſſionem facilius ferre poteſt. Non enim locus proprie affectus, vtpote qui interior eſt, ſed non affectus, id eſt exterior premitur. Quapropter ex hiſce & aliis accidentibus, quæ paulo aliter in Veſtra Celſit. quam in aliis Arthriticis ſe habent, minime concludere licet, iſtos articulorum dolores cum vulgari Arthritide non eſſe comparandos, ſed potius ab exhibito aliquo veneno prouenire. Nullum enim eſt venenum in rerum natura, quod intra corpus quandoque quieſcere, exacto vero Lunæ curſu, recurrere, ſæuire & articulos cruciare poſſit:

Hoc ipſum vero mirum non eſt, ſi humoribus imputetur, videmus enim febres periodicis temporibus recurrere, alioſque morbos præſertim a pituitoſo humore dependentes ſecundum lunæ curſum & recurſum exacerbari & recrudeſcere. Spaſmum quod attinet, qui interdum etiam accedit, totum a flatibus dependere puto.

Sunt enim dolores iſti momentanei, qui materiam leuem & facile diſſolubilem innuunt. Similiter flatus, ipſos tendines & partes neruoſas commodiſſime occupare, ſuoq; inordinato motu, corpus mira celeritate & viciſſitudine cõmouere & exagitare poſſunt, ſuperueniente ſcilicet facultate expultrice, ſibi noxium quiduis expellere conãte. Malim tamen tremorem iſtum & agitationem membrorum, potius horrorem appellare, non ſolum febribus, ſed etiam omnibus catarrhoſis affectibus familiare ſymptoma: Quando enim flatus vel defluxiones per partes neruoſas & ſenſibiles feruntur, neceſſario fit eiuſmodi tremor vel horror. In hac ſententia me confirmat, quod tremores iſti

iſti veſtram Celſ. potiſſimum in princi-
pio & vigore paroxyſmorum, nũquam
autem in declinatione (quantum qui-
dem mihi obſeruare licuit) occupant
& concutiunt, illis enim temporibus
materia morboſa adhuc fluit & moue-
tur, in declinatione vero iam fluxit &
ſuperari incipit. Porro flatus ſurſum ela-
ti, cor totumque pectus premunt, hinc
anguſtiæ illæ, animi deliquia, laſſitudi-
nes & palpitationes prouenīũt. Quam-
uis etiam dolores per ſe vitalem facul-
tatem moleſtando, hæc ſymptomata
inferre poſſunt. Potiſſimam tamen
cauſſam anguſtiarum animique deli-
quiorum & terrorum in graueolenti-
bus flatibus poſitam eſſe, certis conie-
cturis in aliquot paroxyſmis obſeruatis,
firmiter ſtatuo, quandocunque enim
flatus copioſe in ipſis paroxyſmis erum-
punt, pectoris illæ anguſtiæ animique
deliquia manifeſte remittunt. Quin-
imo quotieſcunq; alui illud profluuium,
alioqui ſub finem paroxyſmorum inci-
dere conſuetum, in medio paroxyſmo
Veſtram Celſ. inuadit, toties eandem a
prædictis ſymptomatibus immunem

obſeruaui. Quapropter Celſ. Veſtra in ipſo paroxyſmo aluum minime cohibere debebat, quod ad deuitãdum maiorem dolorem, qui excitatur, quando miniſtri Veſtram Celſit. e lecto in ſellam collocant, haud raro fieri ſuſpicor. Ad terrores iſtos & inquietum ſomnũ, plurimum confert ille ſupra dorſum decubitus, qui omnibus etiam bene valẽtibus grauis eſt & terrore plenus. Dolorem quod attinet, qui interdum in paroxyſmo *Arthritidis*, interdum extra eundem, circa regionem renum, vel ſecundum longitudinem & propagationem vaſorum vrinæ, affligit, ſine dubio ex calculo prouenit, quod non ſolum ſitus illarum partium, ſed arena quoque & lapilli cum vrina excreti, manifeſte docent. Calculi cauſſa materialis varia eſt, id quod coloris varietas declarat. Humorem tamen terreſtrem, nec non pituitoſum potiſſimum, horum malorum fomitem conſtituo. Cauſſa efficiens eſt immoderata & exceſſiua renum caliditas, quæ partim natiua eſt, partim ex frequenti & diuturno ſupra dorſum decubitu, aduentitia.

Huc

Huc accedit calculoſa renum diſpoſitio ab Illuſtriſſimis parentibus renibus implantata.

Reſtat conſideremus inambulandi impotētiam, quæ etiam extra paroxyſmos in tertium nunc annum perſeuerat, quam ego paroxyſmorum frequentiæ, maximæque articulorum imbecillitati ex multiplici mercurii inunctione factæ aſſignare non dubito. Quantum enim mercurius articulis noceat, vel ſoli aurifabri, aliique qui in fodinis & præparationibus mercurialibus occupantur, teſtatum faciunt. Veſtram tamen Celſ. de tophis ſeu nodis, multo minus de dislocatione vel luxatione articulorum ſolicitam eſſe nolim, nulla enim eius modi malorum ſigna apparent, nec dubitandum quin veſtra Celſ. ſi paroxyſmi ſaltem rariores eſſent, extra paroxyſmos libere inambulare & incedere poſſet.

Exploratis hunc in modum affectibus morboſis eorumque cauſſis, conſiderandum eſt, quid medicina per diuinam benedictionē præſtare poſſit: Medicina vero alia in paroxyſmo alia extra

paroxyſmos requiritur. In paroxyſmis magis reſpiciendum ad ipſos affectus quam ad cauſſas, adeoque dolorem mitigantia & confortantia medicamenta, vrgẽte ſic neceſſitate, adminiſtrari poſſunt, quæ tamen pro diuerſitate cauſſarum varianda erunt. Dolorem inter alia demulcet cataplaſma ex radice *Althea flor. Chamam. medulla panis ex ſiligine confecti, & modico Croci, cum lacte præparatum partique dolenti impoſitum.* Ad eandem intentionem confert talus porcinus ad albedinem cõbuſtus cum ſufficienti quantitate vini ſublimati in quo prius Chamæmelum coxerit, loco fomenti. Feliciter etiam dolorem compeſcit vinum ſublimatum cum camphora, itemq; lumbrici terreſtres contuſi, & in forma cataplaſmatis impoſiti. Denique in vino ſublimato macerari ſolet *Galanga, calam. ar. flores ſaluea & lauendulæ*, facta expreſſione adduntur aliquot lumb ici terreſtres, contunduntur, iterumque fit expreſſio fortis, itatur, iterumque colatura ſed expreſſus liquor, partibus dolentibus applicatur. Interea pro confortandis & r.focillandis viribus vſurpen-

bentur aquæ cordiales vſitatæ. Extra paroxyſmum, reſtauratis viribus adhibenda eſt omnis opera, vt ſuperflua humiditas, quæ ad gignendos flatus materiam ſubminiſtrat, ac proinde non ſolum articulorum dolori, ſed etiam ſpaſmo aliiſque ſymptomatibus occaſionem præbet, idoneis remediis auferatur. Aufertur ſuperflua humiditas repetitis pro ratione circumſtantiarum purgationibus & ſudoribus. Cum vero Celſ. Veſtra in genere ab omnibus medicamentis, maximeque ab iis quæ ingrati ſunt ſaporis vel odoris, plane abhorreat, poſſet continuari vſus infuſionis *Hermodactylorum*, *fol. Senæ*, *florum Perſicorum cum correctiuis*, illa tamen omnino exterminanda eſſe puto, quæ vrinam mouent & calculum pellunt, vt ſunt *radix Aſparagi, ſemen milii ſolis, &c.* Impoſſibile ſiquidem eſt, vnum & idem medicamentum diuerſas operationes ſimul feliciter expedire. Quinimo tantum ex tali mixtura periculum imminet, vt medicamenta, quæ calculum propellunt & vrinam mouent, aliquam, per medicamentum purgans, exagita-

tæ & commotæ materiæ partem, ad renes rapiant, vnde minime dubitandum, quin Veſtra Celſ. continuando eiuſmodi medicamenta ſine iudicio cōmixta perpetuum ad generationem calculi fomentum ſit conſeruatura. Diuerſis igitur temporibus & diſtinctis medicamentis, modo purgãdum, modo calculus comminuendus & expellendus. Cum vero medicamenta purgantia frequenter vſurpata naturæ fiant familiaria, ac proinde parum feliciter operentur; poſſet modo infuſio prædicta, modo puluis Hermodactylorum, Turpeti, Mechoacæ, quæ nullum habent ſaporem cum correctiuis in iuſculo aliquo aſſumi. Hoc etiam Veſtram Celſit. humilime monere debeo, mihi modum iſtũ vtendi medicamentis purgantibus inter prandendum, minime probari poſſe; medicamenta enim purgantia in quacunque etiam forma aſſumantur, cum cibis non ſunt confundenda, ſed vacuo ventriculo aſſumenda, ne multiplices internorum viſcerum obſtructiones ſubſequantur. Corpore perpurgato ſudores moueri poſ-

ſunt

ſunt ſingulis vel alternis diebus, per *terram ſig. Sileſiacam* cum aqua Cardui vel Scordii. Nec etiam dubito, quin decoctum Chinæ vel ſarſæ parillæ magnam opem ſit allaturum. Verum enimuero cum vires ob crebros ſudores & purgationes debilitentur, opus erit reſtauratione per medicamenta, quæ non ſolum ori grata ſint, ſed partibus etiam male affectis accommodata. Ad hanc intentionem Celſ. Veſtra vti poſſet conſerua *flor. Lauendulæ, Saluiæ, Maioranæ*, quæ non ſolum cor & cerebrum, ſed articulorum etiam intemperiem moderate corrigunt. Ad hunc finem conferunt tabellæ ex *Ambra, oleo ſtillaticio Cinamom. & Aniſi cum ſaccharo in aqua Saluiæ, Roſarum & Cinamomi diſſoluto*. Sublata ſuperflua humiditate, quod vnius menſis ſpatio perfici poterit, ſi modo remedia continuentur, ſperare licet, non ſolum Arthritidem, ſed alia quoque ſymptomata, ab ea dependentia in meliorem ſtatum reduci poſſe.

Renes calculoſos quod attinet, etſi ſublato omni humorum exceſſu materia

ad calculi nouam generationem præciſa & ablata ſit, accommodatis tamen remediis, ii ipſi calculi, qui nũc renibus ſunt impacti; expellantur & renum exceſſiuus calor contemperetur. Ideoque non poſſum illa violenta & calidiſſima remedia approbare, qualia ſunt ſpiritus baccarum iuniperi: *Oleum & Spiritus Terebintinæ.* Licet enim calculum expellant, renes tamen magis inflammant & nouæ humorũ attractioni occaſionem præſtant: Longe mitius & tutius foret extractum quod ex baccis iuniperinis contuſis, affuſa aqua fontana, paratur, facta enim forti expreſſione, liquor expreſſus coquitur ad cõſiſtentiam mellis: Tutior etiam eſt aqua illa iuniperina; quæ fit baccis iuniperinis in vaſculum ligneum coniectis ſuperaffundendo aquam fontanam calentem, ita vt ferueant inſtar muſti, quam Celſ. Veſtra interdum ordinarie bibere ſolet: Præſtaret tamen meo quidem tenui iudicio, aquam iſtam propter rationes ſupra dictas; cum cibis non miſcere. Extra paſtum autem quando ventriculus à cibo vacuus eſt, cõmodiſſime bibitur. Hoc et-

etiam Celſ. Veſtra ſibi perſuaſum habe-
at, calculum facilius propelli quando
laxantia, vel ante, vel vna cũ aqua iuni-
perina aliiſque diureticis ſumuntur. In
hunc vſum nihil præſtantius obſeruaui,
quam ſyrupum Altheæ, qui non ſolum
calculum paulatim expellit, ſed vas et-
am relaxat & ad expulſionem aptas
reddit, renes denique moderate refri-
gerat. Abſtinendum igitur a calidiſſi-
nis illis, & propter renes impenſe cali-
dos vtendum eſt tẽperatioribus: Quin-
mo non ſine ratione mihi perſuaſum
habeo, refrigeratis renibus, expulſiſque
calculis, articulorum quoque dolores
rariores fore, Veſtra enim Celſ. ipſa ali-
quoties obſeruauit, calculi dolores oc-
caſionem dediſſe articulorum dolori;
t ante conſuetum tempus inuaderet,
vel etiam duplicaretur. Plurimum igi-
tur momenti, renum moderata frigidi-
as obtinet. De chirurgicis remediis,
quæ ſubiiciam non habeo, niſi quod ſe-
tionem venæ, præſertim inuſitatam il-
am & immoderatam, quatuor venas
ſimul aperiendo, nulla ratione com-
mendare poſſum. Scarificationes vero

in ceruice & ſcapulis necnō ſub regiō-
ne renum vſurpatas, non inutiles fore
arbitror. Quatuor etiam fonticuli, vt
conſeruentur, nemo niſi rerum medi-
carum ignarus diſſuadere poterit. Etſi
enim ad præcauendum conſuetum ar-
ticulorum dolorem, hactenus parū pro-
fuerint, poterunt tamen ab aliis grauio-
ribus & ſubitaneis morbis præſeruare.
Neque obſtat, quod interdum vnus, in-
terdū duo fonticuli minus fluunt. Non
enim ad id ſolummodo reſpiciendum;
quod e fonticulis effluit, ſed etiā quod
inſenſibiliter halitus ſpecie exhalat. Cū
enim natura minutiſſimos poros; ſine
magna euaporationis vtilitate haud cō-
diderit, atq; vt perpetuo aperti ſeruarē-
tur, minutiſſimorum pilorum genera-
tionem ordinauerit; minime profecto
dubitandum, quin per fonticulos mul-
tum fuliginoſæ materiæ exhalet, quæ a-
lioquin intra corpus cohibita, deſtilla-
tiones augeret. Ex hoc fundamento
duo alia, humilime monenda mihi ſuc-
currunt, quæ clementer a Veſtra Celſ.
accipiantur, etiam atque etiam rogo.
Primum quod mihi conſultum videre-
tur

tur, ſi Veſtra Celſ. quandoque capillos capitis radi permitteret: quantum enim prolixa coma caput grauet, omnibus eſt notum. Cum etiam Veſtra Celſ. multum ſudare ſoleat, non abs re foret, ſi quandoque caput lixiuio medicato, ad aperiendos poros, mundari curaret, vel ſi lixiuium & lotio diſpliceret, ſaltem ſpongia in vino madefacta ad detergendum, vti pateretur. Alterum eſt quod ad recuperandam valetudinem, multum obſtat, pedum illa non ſolum per lintea multiplicia, ſed pelles etiam leporinas, inuolutio. Per huiuſmodi enim perpetuam cuſtodiam, caput maximopere grauatur & defluxiones augentur, pedes enim concluſi non niſi ſurſum euaporant.

Verum cum omnes ægri, maxime autem viri principes, vnice ea medicamenta deſiderent, quæ non ſolum grata ſunt ori, ſed etiam, quæ omnes affectus (quatenus poſſibile eſt) reiiciant, nihil excogitare poſſum, quod Veſtræ Celſit. tam profuturum, plane mihi pollicear, quam ipſas acidulas

Schvvalbachenſes, multoties enim ex-
pertus ſum, & ratio experientiæ ſubſcri-
bit acidulas iſtas ſuperfluas humidita-
tes, tam per vrinas quam per ſudores e-
uacuare, corpus plus iuſto humidum
exſiccare, calculum e renibus expelle-
re, renumque intemperiem aptiſſime
corrigere. Quantum ẽt ad excitandum
appetitũ, ad iuuandã concoctionem ad
articulos relaxatos & debilitatos con-
firmandos, acidulę conferant, multipli-
ci experientia conſtat. Poterit tamen
Celſ. Veſtra ſi acidulæ aluum non mo-
uerint, per interualla idoneis vti purga-
tionibus, vt non ſolum tenues & aquoſi
humores per ſudorem & vrinam, ſed
craſſiores etiam per aluum expellan-
tur. Ante vſum vero acidularum, vni-
uerſum corpus ab omni humorum col-
luuie vindicandum & purgandum, ne
plus incommodi quam cõmodi acidu-
læ inferant. Si his accedat legitimus vſu
luti in acidis fontibus collecti & empla
ſtri modo articulis applicati, magnam
vtilitatem Veſtra Celſ. percipiet. Poſt v
ſum acidularum, ſi Veſtra Celſ. domum
redierit, meum conſilium eſſet, vt pr
lotio

otione pedum & manuum frequenter vteretur decocto aluminis, ſalis, vitrioli, baccarum Lauri, iunip. quantum eiuſmodi lotio articulos confirmet & ab influxionibus tueatur, multi ſunt experti.

Pro interno medicamento articulos confirmante Veſtræ Celſ. iam ante humilime commendaui vinum medicatum iuæ artheticæ, idem adhuc commendo, poſſet etiam vſurpari iulepus ex aqua Saluiæ & iuæ artheticæ paratus.

Poſtremo mentionem facere cogor, cuiuſdam pulueris, quem puluerem Ionis vocant, illum enim magni nominis Medici feliciſſime vſurparunt. Recordor D. Donzellinum præſtantiſſimum Venetorum Medicum dicere ſolitum, puluerem iſtum frequenter vſurpatum ab articulorum doloribus præſeruare, niſi quis Sardanapalũ imitari velit. Sed cum puluis iſte ingratiſſimum ſaporem habeat, alium ſuauiorem, non minori felicitate & ſucceſſu, aliquoties vſurpaui, is recipit *Herb. Iuæ artheticæ, Roſmarini, Saluiæ minoris, ſeminis Carui, Coriandri an. quãtum videbitur cum ſacharo fiat Tragea.* His ſi acceſſerit conſtans victus ra-

tio, aliarumq; rerum externarum recta administratio Veſtræ Celſ. per diuinam benedictionem profutura, plane confido: Sin idonea victus ratio obſeruari, nec animi affectus cohiberi poſſunt, ne plura quidem profutura ſuſpicor.

Clementiſſimus Deus largiatur Veſtræ Celſ. priſtinam corporis ſanitatem, vt ſanctis & ſalutaribus ſuis conſiliis, ecclesiæ & patriæ quam diutiſſime prodeſſe poſſit. Durlaci 4. Maij An. 1599.

*Celſ. Veſtræ*

*Humilimus*

*Ioannes Matthæus Med. Carolicaſtrenſis ordinarius.*

## NOTA.

*DEcreuerat Illuſtriſſimus Princeps menſe Maio Anni 1599. ad fontes acidos Schvvalbachenſes ſe conferre: cum vero ſub ipſum profectionis tempus conſueti articulorum dolores recurrerent, & ad exitum, quaſi Maii perſeuerarent, iter illud in 12. Iunii fuit dilatum, adeoque ſua Celſ. nec voluit, nec ſane ob metum alterius paroxyſmi, breui ſub-*

*ſecu-*

*ſecuturi, iuſtam corporis euacuationem in-
ſtituere potuit, vix enim aliquot dies recolli-
gēdis virib. neceſſarii ſuperfuerūt. Schvval-
bachii vero bis ſaltem ante initium acidula-
rum, facta eſt purgatio, more tamen conſue-
to, accipiendo ſcilicet hauſtum vini purgan-
tis initio prandii, id quod nullis precibus aut
rationibus emendare potui. Deinde ſingulis
ſeptimanis ſemel corpus purgatum fuit. O-
perationem acidularum quod attinet, in ipſo
acidularum vſu aliquot lapilli cum magna
arena copia, excreti fuerunt, ſed hoc nihil no-
ui, nam extra vſum acidularum ſæpe fa-
ctum eſt. Articulorum ea fuit obſeruata
conditio, vt ſua Celſit. menſæ innitendo, ſi-
ne alio fulcro, ſola, pedibus inſiſtere per ex-
iguum temporis momentum potuerit. Cru-
ra etiam liberius ſurſum trahere & eleuare
potuit. Aliorum medicamentorum nulla
fuit habita ratio, nec ſucceſſit ea operatio,
quam per Dei gratiam, animo conceperam,
omnia enim ſymptomata antiquum obti-
nuerunt.*

## *Conſilium IV.*

ILluſt. iſſ. ac Clem. Domine Princeps,
ſymptomatū ſyndrome quib. cū C. T.

longo iam tempore conflictarur, ſatiſq; lucide oſtendit, non vnicum & ſimplicem, ſed varios & complicatos eiuſdē Celſitudinis corpori inhærere morbos, qui quidem mutua ex ſeſe & longa ſerie vltro citroque nati ſunr, vt vnus alterius cauſſa potius quam morbus appellandus videatur: Singuli tamen ob eorundem diuerſitatem, peculiarem curationem expoſcunt. Quis enim organorum nutritioni deſtinatorum debilitatem, epatis nimirum totiuſque venatum ex eo prodeuntiū ambitus, calculoſam item renū diſpoſitionem, capitis humiditatem & excrementorū procreationem, tendinum denique neruorum atq; articulorum immanes cruciatus ex flatibus (cruditatum ſobole) exortos ad vnum morborum genus referre commode poſſit, cum tot tamque diuerſarum partium actiones lædantur, e quorum numero, morborum etiam numerus neceſſario adaugetur: Morbus autem aliud nihil ſit, quam diſpoſitio præter naturam, actionem primo & per ſe lædens. Cauſſæ igitur horū morborum proculdubio plures erunt, qui

bu

bus proprie curatio debetur, & ob id diligenter inueſtigandæ & remouendæ ſunt: Licet enim fons & origo totius mali ad cerebri deſtillationes eiuſdemque humiditatem, tanquam ad cauſſam antecedentem & remotam referri non ſine ratione poſſit: Attamen non cerebrum ſolum, verum & reliquæ partes naturales nutritioni inſeruientes e- par in primis & ventriculus ab optima temperatura receſſerunt, nec non flatuum copiam generarunt, qui ab hiſce tanquam mādantibus partibus, ad neruos, ſtomachum, tendines & articulos maxima vi, tāquam ad recipientes partes propellūtur, q̃ ob ſubſtantiā mollem & flaccidā ad ſucipiēdas fluxiones aptæ ſunt, ibidemq; maximos dolores, cum magna viriū proſtratione tam diu excitant, donec finiatur acceſſio, & noua materia deinceps ad nouum paroxyſmum generandum congeratur, quod p Lunæ motu, qui in iſtiuſmodi humorum cum generatione, tum agitatione plurimum valet, plerunque ſtatis temporibus accidere ſolet. Ex quibus perſpicuum eſt, internas horum affectuum

cauſſas, in duo maxime genera dirimi poſſe, in principalium nimirū partium, cerebri, epatis, adeoq; totius venoſi generis, omniumq; humorum præcipuæ officinæ & receptaculi, humidam intemperaturam, partim ab ortu & generatione, partim a victus ratione contractam, qua calor natiuus obruitur, atque indies imbecillior redditur, varios humores, ſeroſos cumprimis, qui renum calore attracti in calculos vertūtur: Deinde quoq; crudos & pituitoſos, qui flaccidos ſunt, quique cum illis in artuum ſedes incumbentes, cum ſummo cruciatu hinc inde diſcurrunt. Hinc duo curationis ſcopi maxime erunt, humorum nimirum ſeroſorum, craſſorum & pituitoſorum e corpore expulſio, præmiſſa eorundem idonea præparatione.

Deinde membrorum mandantium & recipientium per alterationem & adſtrictionem facienda eſt corroboratio, ne humores tam copioſe generentur, nec facile fluxiones recipiantur.

Quod licet variis medicamētis perfici poſſit, quæ quidem omnia hic enumerare vix licet, ſed præſentis Medici iudi-

iudicio & fidelitati committenda, nec vni in tanto affectuum concurſu fidendum, neque ſtatim omnis ſpes abiicienda, ſi non protinus optatum producant effectum, cum morbus chronicus ſit & diuturnus, qui longa conſtantique curatione indiget. Meo tamen iudicio, adhibita optima diæta, in qua cruditates & ſatietates vitentur, acidulæ Schvvalbachenſes, reliquis omnib. medicamentis præferendæ, tum ob facilem illarum vſum, tum etiam ob illarum vim inſignem, humores ſeroſos & deſtillationum materiam per vrinas & ſudores digerendi, renes & vias vrinarum ab infarctu calculoſæ materiæ purgandi, interna viſcera reſerandi & roborandi, vi adſtrictoria qua pollent maxima. Craſſa autem & viſcoſa materia, deinde facile per interualla medicamentis purgantibus iiſque leuioribus, ne naturæ per ſe imbecillæ vis inferatur per vomitum cientia, quæ thoraci nocent & caput replent. Leuiora autem ſunt ſyrupus *Diacarth. Diaſeros, roſaceus ſolutiuus cum infuſione Agarici: Electuariũ Diaturbit cũ decocto Myrobalano-*

*rum. Manna, pilulæ aggreg. arthetica, de*
*Agarico, vel etiam de Hermodactylo,* & ſi-
milibus per interualla repetitis, prout
præſenti Medico viſum fuerit, quæ licet
aliquo modo palato ingrata ſint, tamē
dulciſſimæ ſanitatis recordatio, amari-
tudini medicamentorum opponenda,
& in memoriam reuocandum dictum,
morbos medicamentis curari non ele-
gātia. Interea quæ a Medicis ad ea ar-
rhos, & partes principes corroboran-
das præſcripta ſunt, non erunt negli-
genda. Vſum Terebintinæ cum aqua
roſarū lotæ vnice commendarem cum
ad podagricos dolores, tum ad calculo-
ſam renum conſtitutionem.

Conferunt etiam myrobalani che-
buli conditi ſæpe vſurpati aliaque con-
fectiones ex ſpecicbus conditis, pulue
ribus, conſeruis Roſarum luæ Moſcha-
tæ. Neque negligenda ſunt externa, in-
unctiones & emplaſtra, quæ omnia
præſentis Medici officium requirunt.
Atque hæc ſunt Illuſtriſſime domine
Princeps, quæ in librorum inopia C. T
ſalutis proſpiciēdæ gratia cōgere, e po-
tui, quæque doctiorum iudicio libente

ſub

ſubmitto. Celſ. T. me humilime commendans, cui firmam & proſperam ſanitatem a Deo optimo ardentibus votis exopto. 13. Maij An. 1599.

*Celſ. T.*

*Humilimus*

*Philippus Feſel aula Hochbergenſis M. d: D. ordinarius.*

## *Conſilium V.*

MOrbus articularis eſt articulorum imbecillitas dolorque ex interuallo, nonnunquam ſtatis temporibus recurrens, a fluxione ortum habens, quę ſeſe inſinuat inter membranas tendineſque articulorum.

Huius morbi plures ſunt ſpecies, vt, qui in manuum carpo & digitorum lacertis verſatur, *chiragra* dicitur, qui genua occupat, *Gonagra*, qui coxas, coxendicus, qui pedes, *Podagra* nominatur, qui vero omnes articulos inuadit, *Arthritis eſt*.

Afficiuntur articuli, tendines, vincula, quæ oſſa connectunt, membranæ, quæ eadem ambiunt, aliquãdo implentur, aliquando diſtenduntur. Grauis eſt dolor, qui per interualla recurrit: cum primo malum inuadit, leuius eſt, paulatim accreſcit, præſertim in mala victus ratione: Tum enim plures, imo ſæpe omnes totius corporis articuli implentur humore & dolore afficiuntur. Podagra vix vnquam tumet, gonagra & chiragra non ſine conſpicuo tumore inueniuntur. In paroxyſmo appetitus proſternitur & vigiliæ moleſtæ ſunt.

Cauſſa plerunque cachexia eſt, in qua tamen pituitoſus humor nonnunquam in venis magnis & iecore, ſemper fere in capite abundat, quas partes, dum grauat, in articulos tendineſque propellitur. Copia humorum in hoc morbo peccantium ex Venetis vinique generoſioris immodico vſu, cruditate, partis imbecillitate, otio, conſuetarum exercitationum intermiſſione, vacuationum naturalium ſuppreſſione, nimia animi perturbatione, tandem

dem etiam a parentibus in prolem deriuatione gignitur. In adultis fere nunquam; in iunioribus ſæpe curatur, modo nodoſa non ſit Arthritis nec hereditaria & bona obſeruetur victus ratio. Tormina & Diarrhœa morbum plerunq; leuant, Venus & vinum grauant. Recurrere, vt plurimum ſolet vere & autumno, etiamſi æger liberatus videatur; præſertim quando a parentibus malum eſt communicatum, in tali enim caſu non niſi palliatiua eſt curatio & momentanea. Extremis morbis extrema remedia ſunt adhibenda: Apte cum communi prouerbio quadrat hæc Medicorum ſententia, duro nodo, durus quærendus eſt cuneus. Neque tamen hoc ita intelligendum puto (ſaluo tamen aliorum iudicio) tanquam ipſis remediis aliquid periculi ſubeſſet, ſed cum ex immanitate morbi, de ægri ſalute nihil ſperari poſſit, vtendum eſt tamen pro magnitudine morbi medicamento forti, ex cuius vſu nihil mali timeri queat. Exempli gratia: ſi morb. extreme calidus ſit, remedium extreme frigidum requirit, licet autem

extreme frigida propter exceſſum naturæ ſint inimica; quia tamen morbo reſiſtunt qui naturæ inſidiatur, ideo naturæ amica & ſalutaria habentur. Hinc forte probari poſſet Spagyricam illam medicinam cum recta ratione vſitatam, non, vt vulgo putatur, naturæ ſed morbo inſidiari, & licet aliquantulum operoſius morbum aggrediatur; non tamen natura inde debilitatur; multo minus, vt quidam peſſime cenſent, exſtinguitur, plures enim ab ipſis qui hoc garriunt, incurabiles habentur, & longa morborum protractione, aut miſere cruciantur, aut plane exſtinguuntur, quam a veris Spagyricis fieri ſolet. Neque hoc propterea dico, quod Veſtra Celſ. de mea medicina & ſua ſanitate aliquid certi polliceri velim aut poſſim (impotentia enim mea diuinæ omnipotentię ſubiecta eſt) ſed vt illud ſolummodo teſter, quod iam olim in hac, qua vtor medicina, vidi, & hodie plurimi ſuo damno ex alia iſta experiuntur. Sed pergo ad curationis partem. Aer temperatior ſit, licet ille qui ad caliditatem & ſiccitatem accedit, ſit laudabilior. A-

ment

imēta, quæ minus nutriunt, magis con-
ueni e putantur; nec iis ad crapulam
vix ad ſatietatem vti conuenit. Plures
etiam Medici ad aliquot dies inediam
præſcribunt, quam in hac cura non ne-
ceſſariam puto. Cibus autem ſtatutis
horis exhiberi debet, niſi euacuatio
impediat. Potus ſit infuſum vel deco-
ctum radicis Chinæ, nullum vinum, niſi
enue, idque in menſa cum *eſſentia no-
ſtra capitali* permixtū, ſed paucum. Ex-
ercitium extra paroxyſmum ſit, per mi-
niſtros circumduci aut in ſede circum-
ferri. Somnus ſit moderatus, vitetur di-
urnus. Aluus in & extra paroxyſmum
ut natura aut arte ſit ſoluta. Veneris
bſtinentia multum iuuat, vſus nocet
nul um; animi perturbationes & gra-
ia ſtudia, mala.

Medicamenta totum corpus euacu-
ntia duplicia ſunt, alterū minerale eſt,
lterum vegetabile, idq; factum eſt par-
im quia Veſtra Celſ. vomitus ex mine-
ali medicina, ſiue Mercurio vita exci-
atos difficilime fert; partim etiam ne
x frequenti vnius medicamenti vſu,
atura iſti aſſueſcat, adeo vt illud dein-

ceps debitam operationem habere nequeat, tũ etiam quod humores alioqui pertinaces mutatis interdum remediis facilius educãtur, q̃ ſi eodem ſemper vtamur pharmaco. Mercurius autẽ vitæ, q̃ tuto exhiberi poſſit, ſi V. C. exemplũ deeſſet, poſſem præter vulgus hominũ multorum generoſiſſimorũ comitum & nobiliũ fœminarum, & virginum nomina recenſere; quæ ipſius vſum nõ ſolum ſuo exemplo approbant, ſed etiam in cœlum laudibus extollũt, niſi putem in re tam manifeſta, non opus eſſe probatione. Huius Mercurii vitæ Doſin quatuor granorum, V. C. ſingulis dieb accipere poſt Lunæ mutationem poteſt, idque quater in menſe. Hinc quatuor vomitus, decem vel octo ſedes ſequentur, neq; nauſea in ſtomacho vltra tres horas in ſtomacho erit. Hora ſequenti poſt aſſumtionẽ exhibetur hauſtus iuſculi piſorum vel carnis, poſtea cibo abſtinendum, donec vomitus plane deſierit, tunc prandium capiatur leuiuſculum. Veſperi hora ante cœnam ſumet Veſtra Celſit. ſequentis pulueri drachmam vnam, qui cor roborat, in

firmun

num ſtomachum confortat, conco-
ctionem adiuuat & cerebrum firmat.

℞ *Extracti ſpec. Diagalang. g.* xv. *Diamuſci dulcis, Diarrhodon Ab. an. g.* v. *magiſterii Coralliorum drachmam vnam, perlarum drachmam dimidiam, ſacchari albiſſimi vncias duas. f. puluis ſumẽdus cum modico vini*, hoc debet cõtinuari per integrum curationis tempus, hora vna ante ſingulas menſas. Veſperi tribus horis poſt cœnam (prius enim ſomnus non conceditur) Illuſtriſſimus Princeps cubitum iturus aſſumet extracti noſtri capitalis ſcrupulũ dimidiũ, nebula inuolutum. Sequẽti die ſummo mane exhibebitur extractum *Sarzæ parillæ*, *deinde per reſiduum diem vtetur ſua Celſ. puluere hordiali, eſſentia capitali & extracto veſperino, vt dictum eſt ſupra.* Tertia die aſſumẽdum extractum ſudoriferum, quod ex vegetabilib. conficitur põdere ſcrupuli vnius cum cochleari vno liquoris tartari, & ſudandum per duas horas. Quarta die capiatur Cariocoſtinũ nouum, de quo ſupra dixi, pondere vnius drachmæ cum brodio: purgat leniter ſine torminibus. Peracta purgatione da-

tur prandium. In reliquis idem modus procedendi. Quinta die datur extractum Sarzæ parillæ, reliqua cum ſuperioribus eadem ſunt. Sex à die ſudabit Celſ. Veſtra ſudorifero extracto, quo etiam tempore obſeruētur omnia, quæ dicta ſunt. Septima cum extracto Sarzæ parillæ procedatur, præſertim cum hac ſeptima die Lunæ mutatio ſemper incidat. Octaua die cum Mercurio vitæ inſtādum, ſicut prima die, in reliquis ſubſequentibus diebus idem ordo obſeruetur, qui præſcriptus eſt, iſq; ad finem curæ, quæ vno menſe terminatur, niſi interea vel virium defectio, quam non metuo, vel alia euidens mutatio interueniat. Nunc ad externa medicamenta accedo, quæ ſunt triplicia, balneum ſcilicet ſeu fomentatio, oleum ex deſtillatis compoſitum, & emplaſtrum ad articulos. Balneum fiat ex ſequenti decocto, quod multum facit in digerendis & euocandis humorum reliquiis. ℞ *Ebuli m.* ij. *Verbaſci vtriuſque Chamæpyt. Calamenti, Centaurii minoris an. m.* ij fiat decoctum in aqua, foueantur articuli alternis diebus ſummo mane, antequam o-

leum

leum vel emplaſtrum adhibeatur, niſi etiam euacuatio hanc tomentationem impediat.

Oleum.

℞ *ol. laterum* ℥ iij. *Terebint. rub* ℥ j. *ſ. li-gni iunip Maſtic. an.* ℥ j. *miſc.*

Emplaſtrum digerens & educens.

℞ *Gummi pini, picis nig. an. vncias* ij. *ce-ræ, axungiæ, an.* ℥ j *thuris, hermodact. rad. ireos, ſulphuris non exſtincti an.* ℥ *ſemiſ. olei irini q. ſ. ad incorporandum f. emplaſtrum,* quod poſt olei inunctionem applicetur articulis.

Hæc ſunt Illuſtriſſime Princeps, quæ durante cura a Veſtra Celſ. aſſumenda ſunt interius, & exterius adhibēda. Nec mirum ſit Veſtræ Celſ. quod tam pauca præſcribuntur remedia in morbo tam difficili & chronico, quia non in medicamentorum pluralitate, ſed in eorundem efficacia & proprietate conſiſtit omnium morborū curatio. Nec dubium eſt, ſi V. C. hanc curationis methodum ſequi poſſit & velit, quin cū Dei adiutorio, veritatem in ſemetipſa experiatur.

Quod de Mercurio meo Coſmetico nulla hic fit mētio, fit, quia ſaliuationes,

nes, quæ inde proueniunt, moleſtiores ſunt quam operatio Mercurii vitæ vllo modo eſſe poſſit. Vnicũ reſtat q Veſtrã Celſ. humiliter rogatã velim, vt nimirũ de hac mea curatione ſolũmodo iudicent qui intelligunt, ignari enim & vulgus Medicorum facilius carpunt quã emendant. Durlaci 18. Maij. An. 1599.

*Veſtræ Celſ.*

*Humilimus ſeruus*

*Iacobus Moſanus Veſius Aulæ Caſſellanæ Med. D. ordinarius.*

NOTA.

*HOc tempore Iudæus quidam commẽdatione Comitis cuiuſdam Rhenẽſis ſe inſinuauerat, qui certis characteribus auro incluſis mirãdos promittebat effectus, inſignis & vrinarũ inſpector haberi volebat, ſed Illuſtr. Princeps nugas illas explodebat, fomẽtum tamen ex herbis cũ vino rubro pro articulis paratum, multis dieb. fuit vſurpatum, ſed fruſtra & ſine vllo fructu. Potiſsima virtus reſtituendi articulos ineſſe credebatur herbæ, quã Matthiolus Ocymoidem, alii Ben, Tragus Polygonatum Germani* Lydtweich *vel*

vel Gliedweich vocãt, cuius nominis ratio, non ſolum hunc Iudæum, ſed etiam quoſdam chirurgos alioſque imperitos homines impellit, vt credant herbam iſtam articulis mire prodeſſe, cum tamen nominis ratio potius ſit a forma iſtius plantæ, habet enim multas articulationes, nec tamen vnquam fuit deprehenſa vis aliqua confortandi articulos. Similis ſuperſtitio & inanis eſt perſuaſio, quando Cardui ſpecies Stachelkraut ad pleuritidem zum Seitenſtechen/ ꝛc. vſurpatur.

## *Conſilium VI.*

MOrbus articulos occupans generali quidem nomine *Arthritis* dicitur, vulgares etiam Galenico idiomate *guttam* vocant, eo quod arbitrati ſunt hanc dolorificam paſſionẽ a deſtillationibus ſuã trahere originem. Fit proculdubio morbus hic ꝑ viam fluxus guttatim ſtillantis, humor enim per carnem diffuſus, non ſolum loca articulationum, ſed etiam partes circumiacentes, ligamenta ſcilicet & neruos, extra articulos ad cutem vſque occupat, in quo a podagra & chiragra omnino differre videtur, ideo non abſurdũ eſt ipſum generali nomine guttã vocari. Origo huiꝰ

fluxionis potiſſimum eſt a capite & cerebro, quandoq; per conſenſum a vētriculo & epate ex occulta aliqua proprietate accidētali fiunt defluxus in articulos, de quo tamen in præſentia ſuſpicari potius, q̃ certi aliquid affirmare auſim.

Qui de morbis articulorum ſcribunt Medici, duplici procedere ſolēt via, aut enim præcepta iis præſcribunt, qui nondum laborāt morbo articulorū, verum ab eo præſeruari cupiunt, aut modū rationemq; oſtendunt, qua ii, qui morbo iſto iā diuexantur, liberari poſſunt. Horum ego quoq; veſtigiis inſiſtēs, de præſeruatione primum, deinde de methodo curandi, pauca quædam ſum dicturus. Verum antequam ad iſta veniam, neceſſario conſiderandum venit, num morbus iſte ſit curabilis, nā ſi neq; præcaueri, neque curari poſſit, fruſtra hæc ſcripſero, & q multo foret abſurdius, fruſtra quoq; omnis curādi ratio ſuſcepta fuerit. Puto hunc morbum curatu difficilem eſſe, quippe cum tot celeberrimorum Medicorum remediis fruſtra adhibitis a malignitate ſua & crudelitate parum receſſerit. Incurabilis tamen

non

non erit, ſi fidelis Medicus ſemperque præſens iuſta vtatur methodo, & patiens in omnibus ei obtemperet.

Methodus autem in quibus potiſſimum cõſiſtat, partim ex cauſſarum cognitione phyſica, partim ex earundem ablatione liquido apparet. Multos inquit Gal. triennio iam & quadriennio pedum doloribus iam ex interuallo vexatos curaui, vel redundantem humorem initio veris, aut alias ſtatis temporibus purgãdo, vel ſanguinem detrahendo: Manifeſtum eſt autem, quod huiuſmodi ægri circa totam victus rationem fuerint temperantes, quia intemperantes, vinoſos, ac ventri deditos nec purgatione, nec venæ ſectione magnopere iuueris. Maxime autem iuuabit, ſi ineunte vere primum purgemus, ac deinde ad exercitia & diætam ſalubrem reducamus: Hactenus Galenus. Cum igitur oſtenderim morbum hunc nequaquam eſſe incurabilem, nũc qua ratione præſeruatio fieri queat, paucis addam. Ac cum præſeruatio in victus ratione potiſſimum conſiſtat, eaque cauſſis morbificis aduerſari debeat, manife-

ſtum eſt, quod vitare omnia iſta oporteat, quæ pituitoſos & bilioſos humores procreare poſſint: nam propter certas cauſſas exiſtimo hunc morbum ex pituitoſorum & bilioſorum copia originem traxiſſe. In cibis igitur vitentur panis non fermentatus, aut non benecoctus, carnes fumo induratæ, ſalſæ, bubulæ, ceruinæ veteres, porcinæ domeſticæ, agninæ, ouinæ, capita animalium, cerebrum, oſſium medulla, viſcera, inteſtina & extremitates, exceptis pedibus, qui conceduntur, quod indiuiduali quadam proprietate pedes hominis roborare creduntur. Volucres item omnes degentes in aquis, vt anſeres, anates, ardeæ, mergi, &c. gallinæ quoque & capones, ſi cauei inclusi fuerint & ſaginati. Præterea piſces, qui lacuſtres ſunt, imo pingues & viſcoſi omnes, vt anguillæ, tenchæ & ſimiles. Caſeus vetus, lacticinia omnia, legumina, quia vaporoſa. Quæ etiam in ſartagine frixa ſunt, item oua dura, fructus horarii omnes, præter ficus & vuas, pyra item & cydonia cocta, quæ in fine cibi conceduntur. Rurſus con-

ueniunt *panis fermentatus, carnes pullorum gallinaceorum, caponum, gallinarum, quibus in loco libero diſcurrendi fuit poteſtas, vitulina, hædina ex hædis iuuenibus, oua recentia ſorbilia, aues montanæ & campeſtres (præter coturnices) piſces ſaxatiles.* Cappares item pro condimento commendantur, reliqua condimenta, quæ acria ſunt, & fumos multos in caput mittunt, vt quæ ſanguinem acuere & catarrhos mittere, poſſunt a familiari vſu exulare debent. Multitudo item ferculorum in vno prandio vel cœna ſtudioſe vitanda eſt. Simplicem enim victum multiplici meliorem eſſe teſtantur ruſtici, qui raro ægrotant, & diutius viuunt. In primis vero cauendum, ne carnes & piſces in vna menſa comedantur. Nunquam comedendũ, niſi fames naturalis ſtimulet, dumque hæc adfuerit, non eſt differendus cibus, ne ventriculus ex aliis membris trahendo ſeſe prauis repleat humorib. Quando grauitas aut faſtidium ſentitur, nunquàm eſt comedendum. Qui enim hoc faciũt, pituitoſos & melāchollicos morbos ſibi conciliant. Quinimo

Celſi regula hic obſeruetur, quod abſtinentia & quiete multi morbi curentur. Ciborum autem ordo perpetuo inſtituatur, vt mollia duris præmittantur, qui vero hunc ordinem inuertunt, illi molliores cibos in ventriculo putreſcere faciunt.

Potus ſit vinum album purũ & non medicatum, nec etiam cõcoctio ciborum, cui ſemper ſtudere debemus, interturbetur: Inter prandium & cœnam & deinde poſt cœnam nihil bibendum, niſi forte magna ſitis adſit, tunc enim moderate, quantum ſiti reſtinguendæ ſatis eſt, bibere licet.

Aer neque nimis frigidus ſit neque calidus. Ventus, aer pluuioſus & nocturnus caueantur.

Somnus & vigiliæ modum non excedant, dormiendum tribus horis poſt cœnam, & tantum, quantum ciborum concoctioni ſufficit. Sufficiunt autem cõmuniter ſeptem vel octo horæ. Quia vero non eodem tempore concoctio ſemper perficitur, ideo bonæ concoctionis ſigna obſeruentur, ſi videlicet tumor ventriculi reſederit, grauitas &

ructus

ructus abſint; ſputum attenuetur, apparentibus illis ſignis, ſtatim ſurgendum, ne excremēta diutius in corpore quam par eſt, retenta, noxam inferant. Eſt etiam ſomnus meridianus omnino fugiendus.

Repletio tam cibi quam potus omnis mala eſt, ideoque fugienda.

Excretiones vero naturales, per ventrem, nares, vrinam & palatum, vt quotidie debito modo fiant, opera danda eſt: Sin harum aliqua ſua ſponte non procedat, arte promoueatur. Conſtipatio ventris extra reliquum vſum medicamentorum, tollitur clyſtere lenitiuo, vel accipiēdo ſub initium prandii maſſulam ex *floribus caſsiæ cum Tamarindis, Rhabarb. & puluere liquiritiæ, vel tribus horis ante cibum, Terebintinam Cypriam.*

Excretiones capiti propriæ promoueantur errhinis & ſternutatoriis, vt pote ſucco Maioranæ naribus indito. Caput etiam ſingulo mane pectine eburneo, ceruicem verſus ducto, ſuauiter eſt pectendum, vt vapores apertis poris libere egrediantur. Singulis etiam menſibus caput eſt abluendum lixiuio ex ci-

nere ſarmentorum vitium aut ſalicis facto, cui ſequens ſacculus ſit incoctus. ℞ *Maioran. Roſ. rub. violar. flor. primulæ veris, Chamæm. Stæchad. arab. Saluiæ, Beton. an. m. ſemis. flor. Nardi Celt. p. j. fol. Sen. Agarici, an. drachmas* ij *ſem. nigellæ romanæ drachmam* j. *miſc. fiat ſacculus.* Sapo etiam ſit odoris gratiſſimi, vel per ſe optimus. Lotum caput ſiccetur linteis, maſtice, thure & ſuccino ſuffumigatis.

Motus & exercitium valde prodeſſent, ſi ante cibum commode fieri poſſent. Motus tamen omnis vehemens, tam animi quã corporis, cogitatio item intenſa & ſeria à cibo ſtatim, quia cruditates efficit, omnino vitentur. Quare poſt cibum nõ moleſta, ſed iucunda negotia tractentur. Atque hæc de præſeruatione, quibus rite obſeruatis, totum corpus neq; huic, neq; aliis catarrhis obnoxium fiet. Verum quia homines ſumus, neque ſemper dum inter homines verſamur, noſtro nobis modo & arbitrio viuere licet, ideo cõſultum videtur, vt bis vel certe ſemel ſingulis annis purgetur, idq; vere & autumno. Nam ſi quid forte excremẽtorum huic morbo gene-

generando idoneũ, per reliquã anni tẽ-
pora in corpore collectum fuerit, id to-
tum his temporibus auferetur, atque ita
corpus deinceps purum & ab imbecilli-
tatibus immune erit. Purgationes au-
tem, de quibus dico, hac vel ſimili ratio-
ne fieri queunt, vt paulo poſt initiũ Se-
ptembris vel Martii, quinq; vel ſeptem
dieb. temperatiſſime, ſecũdum omnes
res non naturales viuatur, & iis exactis
ſequentes pilulæ ſumantur. ℞ *Extract.
coch. drach.* iij, *Turpet. drachmas* ij. *cum pul.
card. bened. fiat maſſa cũ ſyr. roſ. ſol. ex drach.
j pil.* xxj. Deinde materia redundans *ſy-
rupis de Beton: Cichor. cũ Rhab. cum aq. Sal-
uiæ, Iuæ, & Endiuiæ, diebus aliquot præpa-
retur.* Deinde cum ſequẽti puluere, vel
ſimili aliquo medicamento vniuerſos
ſimul humores euacuante, purgãdum.
℞ *Turp. alb. hermod. fol. ſen. Diagrid. an.* ℥ j.
*Corn. cer. vſti ſoluti & correcti Spodii præ-
parat. an. drachmam dimidiam cinam.* ℥ j.
*ſacch.* ℥ iij. *zingib.* ℈ j. *fiat puluis doſis* ℥ j. *cũ
vino generoſo, matutino tẽpore hora* v. *dein-
de ieiunãdo ad horã 10.* Tandem principa-
lia membra roborentur cum ſequenti-
bus. ℞ *Spec. Arom. Roſ. drachmam* j. *ſ.
Diarrhod. Ab. Diacinam. an. drach. vn. Dia-*

*marg.frig.Cort.Cit.Lapid.Bezoar Corallor. ſolutor.& præp.an.drach.ſ.ſachar. vncias j. ſ.moſchi, Ambræ an g. iiij.ol. aniſ.gut.v.ol. Cinam.gut.*iiij.*tincturæ ſolis ſcrup.ſ. miſc.f. pul.Doſis ſcrupulus* j.vel, ℞ *Spec. D amarg. frig.Lætif.Galen.an.ſcrup.*ij. *Margar.præp. Corn.cer.vſt.& præp.an.ſcrup* j. *oſſis de corde cerui ſcrup.ſ. Ambræ Moſchi an. g.* iij. *ſach.vncias* iiij.*diſſol.in aq.roſ.& meliſ. an. q.ſ. olei cinam. aniſ. an. gut.* ij.*fiant rotulæ.* Intermedio vero tempore plurimum prodeſſet; ſi menſibus ſemel prædicti pulueris ſolutiui drachma vna, quatuor vel quinque horis ante prandium ſumeretur cum vino Cretico vel Rhenenſi: vel ſequentium pilularum ſcrup. iiij.℞ *aloes epat.lotæ in aq.Cichor.drach.*iij. *extract. Rhab. Turpet. an.ſcrup.*ij.*Roſ.rub. ſcrupul.ſ extract. Agar.ſcrup.*j.*extract. Mechoac.ſcrup.ſ. Cariophyl. Macis an. drach.ſ. cum ſyr.roſ.ſol.fiat maſſa:* Hæ pilulæ, quia ſine moleſtia & cuſtodia, vt Medici loquuntur, ex capite, ventriculo & epate ſuperfluitates ſuauiter educere, eademque membra roborare poſſunt, ideo frequenter vſurpentur.

Singulis diebus mane ſequentia duo allu-

aſſumantur, ℞. *Conſ. Iuæ vnciam* j. *Conſ. Anth. ſal. Borrag. an. vnciam ſ. nucum Muſ. ondit. n.* iiij. *miſc. cum ſyr. Iuæ vel cort. Citr. Doſis drachmæ* ij. ſuperbibendo vnum atque alterum cochleare ſequentis aquæ. ℞ *aq. an: ſor. cui oleum eſt abſtractum vncias* iiij. Venter ſingulis diebus illinatur hoc vng. ℞ *ol. Nuc. Muſc. ſcrup. ſ. Zebeti gryſ. g.* vj. *Styrac. Calam. Laudan. an. ſcrup. ſ. Moſchi g.* viij. *olei Benzoin. g.* v. *ol. Carioph. Cinam. an. gut.* iij. *miſc. in pixide eburnea*

Pul. Bezoardicus, ℞ *monocerotis, perlar. ſolutar. an. drach.* j. *Corallor. vngul. Alcis an. drach. ſ. Roſ. eboris, Bezoar. viſc. querc. Corn. cer. an. ſcrup.* j *zingib. drach.* ij. *macis drach. ſ. ſcolopend. drach.* ij *fiat puluis, Doſis drach. ſ. duabus horis ante prand. cum vino maluatico alternis diebus.*

Vinum ex ligno Saſſafras.

℞ *Sarmentorum ligni Saſſafras vncias* viij. *paſſularum* ℔ iiij. *rad. helen. vncias* iiij. *Rhab. elect. vnciam ſ. fol. ſen. vncias* iiij. *ſem. Coriand. vnciam ſ. liquirit. raſ. vnciam* j. *Polypod. querc. vnciam* j. *ſ. Hyſſop. m* ij. *flor. Stoechad. arab. Borrag. violar. Bugloſ. an. m* . *Cinam. vnciam* j. *ſ ſpicæ drach.* j. *Carioph. drach.* ij. *herb. ſal. iuæ, agrimon. m* ij. *fruct.*

*Roſæ caninæ* ℔ v. *ſacchar. candi* ℔ ij. *cum vini menſuris* XL. *Doſis unciæ* v. *mane hor. 6. menſibus Octob. Nouembr. Decemb.* Ad hæc Conſ. Roſ. hora vna ante prãdium ſumta, mirifice laudatur ad caput, ventriculum, epar, renes, atque adeo omnia prope membra roboranda, & in naturali vigore conſeruanda, quapropter hoc ſimplex remedium præſertim in æſtate ad vſum quotidianum ſumendum eſſe arbitror. In hyeme theriaca bene præparata in crebro ſit vſu, hæc enim nõ ſolum fluxum ſiſtit, ſed etiam totam materiam morbiq; cauſſam exſiccat, & venenis reſiſtit.

Præcellens iam coquitur remedium ex Saſſafras ligno & cortice. ℞ Ligni Saſſafras cum cortice confracti vnciam ſ. inquit Heurnius ni recens fuerit, accipe *uncias* iij. *Aquæ libr.* v. *macera in nouo fictili per horas* xij. deinde lente excoquantur duæ tertiæ partes ſumat mane & veſperi. Scribit Manardus ſingulari experimento ſe didiciſſe id auxilio fuiſſe his, qui diſtortos pedes & manus ex arthritide habebant; Hoc ſimplex decoctum menſis ſpatio vſurpatum,

tum,ſudoriferi locum obtinet. Ad extremum, membra recipientia pedes nimirum etiam corroborandi ſunt, & laudat experientia ſepulturam in ſemicupio ex vinaceis, expreſſo iam torculari vino, obruto ſcilicet corpore toto ad aures vſque duabus horis ante cibum. Vel immiſſo nudo corpore in bouem iam iam exenteratum, & adhuc ſpirantem arctiſſimiſque vinculis cinctum, atque hæc breuiter de vſu medicamentorum præſeruantium.

Quod ſi vero vel propter lapſus in diæta, vel propter alias etiam cauſſas, (quod Deus quam diutiſſime prohibere dignetur) res ad paroxyſmum deueniret, & dolores iam articulos occupare inciperent, conſulo vt eo ipſo die ſtatim clyſter adhibeatur, qui materiam magno impetu ad membra ruentem, retrahat atque ad communes vias inteſtina ſcilicet deducat.

Sequenti vero die ſumatur medicina, quæ ventriculum & venas meſaraicas mundare poſſit. Tertia die & ſequentibus diebus accipiantur digeſtiua

& præparantia ; poſtea deueniatur ad medicamenta, quæ materiam coctam & præparatam expurgare poſſint ; diſcuſſis flatibus. Interim quoque localia adhibeantur, in principio quidem ſola repellentia, niſi forte dolor inualeſcat vt iam rationem cauſſæ habere incipiat, in eo enim caſu dolor ante omnia eſt ſedandus per anodyna. In medio vero digerentia & repellentia ſimul ; & in fine denique digerentia ſola. In ipſa vero cura vtendum eſt tenui diæta, ac vinum ne guſtandum quidem, cuius vicem aqua decoctionis cinamomi aut coriandrorum præp. ſupplebit in qua macerẽtur nux muſcat. Saſſafras, decoctum ligni Guaiaci dilutius, &c. Quod vero in hac curationis breuitate ſingula ſimplicia, ex quibus tum clyſter, tum alia medicamenta componuntur, non adſcripſerim, id cõſulto a me eſt factum: Quia enim morbus hic, tum ex dolore loci affecti, tumore & aliis, frigida an calida ipſius ſit conditio dignoſcatur, nõdum ſatis tuto medicamenta illa, priuſquam quale quodque iſtorum ſignorum ſit, videamus ordinari poſſunt : Sed hæc omnia

nnia præſentis Medici iudicium requi-
unt. Schvvalbachii menſe Iulio An-
ni 1599.

*Celſ. Veſtræ*

*Humilimus*

*Io. Gottfridus Beutherus*
*Med. D.*

## *Conſilium VII.*

ILluſtriſſime ac Clementiſſime Princeps, poſtquã Veſtra Celſ. tenue meũ iudiciũ, corporis ſui infirmitates & neruorum diuturnas ægritudines concernens, clementer requirit, non debeo intermittere, quin cogitationes meas & ſententiam craſſiori minerua deſignatam, humilime exhibeam. Primum morbi genus quod attinet, exiſtimo nõ eſſe veram & vulgarem Arthritidem ſeu podagram, quia dolor non ſolum articulorum iuncturas, ſed intermedia etiam ſpatia inter articulorum iuncturas, potiſſimũ vero neruos tam pedum, quam aliorum membrorum derepente magno cum dolore corripit. Malim

igitur hunc affectum Guttam das lauffend Gegicht / quam Arthritidē appellare, quemadmodum etiam claſſicis nonnullis auctoribus ſic vocatur. Cauſſæ huius ægritudinis potiſſimum ſunt triplices: Prima eſt totius corporis, maximo vero epatis & capitis temperamētum iuſto humidius. Altera eſt diſpoſitio hereditaria; Veſtræ enim Celſ. mater iiſdem dolorib. fuit obnoxia, adeoq; hereditario, quaſi iure partes neruoſæ debiles ſunt. Hinc non ſolum ſuperflui humores generantur, ſed etiam in partes neruoſas, vtpote debiliores præcipitant, nobiliores n. & robuſtiores partes, quas Celſ. V. nondum male affectas habet, ſua excrementa in partes infirmiores promtiſſime deponunt. Tertia nec minima cauſſa eſt maligna quædam & venenata qualitas, cuius Veſtr. Celſ. fortaſſis per toxicum aliquod a nefariis & ſceleratis hominibus acceptum, particeps facta eſt. Huc refero noxia quædam & intempeſtiua remedia vſurpata, vtpote inuſitata illa & inaudita ſanguinis miſſio ſeu profuſio, pilulæ ex Mercurio confectæ, inunctio item hydrar-

drargyrica, Mercurius enim non ſolum humidioribus & albicantibus naturis, ratione manifeſtarum qualitatum, ſed etiam totius ſubſtantiæ ſeu occultæ proprietatis beneficio, plane noxius eſt & inimicus, id quod Palmarius *in libr. de contag. morb.* & Fernelius *in tract. de lue ven.* rationibus validis & exemplis ſolide demonſtrant.

Quamuis autem hæc neruorum ægritudo inueterata ſit, ſperare tamen licet cum Veſtra Celſit. ſit in ætatis flore & principalia viſcera illæſa & incorrupta habeat, Deum Omnipotentem per idonea remedia daturum, vt Veſtra Celſ. a diuturnis remediis vindicari, & eccleſiæ patriæque diutius ſeruari poſſit.

Indicationes quæ Medico in hoc caſu diligenter perpendendæ ſunt potiſſimum ſunt temperamenti plus iuſto humidioris exſiccatio, partium neruoſarum confirmatio, nec non malignitatis ſeu venenatæ qualitatis per conueniens alexipharmacum expulſio. Medicamentorum materiam quod attinet, conſultum eſſe putarim, ſi Veſtra Celſ.

quæ aliquot nunc annis, non dico variis remediis fuit defatigata, ſed dimidium quaſi pharmacopolium exhauſit, nunc etiam acidulas Schvvalbachenſes vſurpauit, ad tempus aliquod, naturæ operatione exſpectando, quieſceret. Quod ſi denique generoſo aliquo remedio ad exſtirpandam hanc ægritudinem foret opus, pro meo tenui iudicio conuenientiorem medicinam excogitare non poſſem, quam quæ ex ligno Guaiaco, corticibus eiuſdem, Sarſa parilla, & iua arthetica, eo potiſſimum modo conficitur, qui familiæ noſtræ medicæ, & prę ſertim parenti meo Medico (abſit inuidia verbo) celeberrimo, vſitatus fuit.

Hæc enim medicina non ſolum humiditates ſuperfluas abſque vllo incommodo conſumit, tonum & robur partibus nobilibus addit, ſed etiam vim alexipharmacam, malignitati reſiſtentem poſſidet, id quod Palmarius & Fernelius etiam atteſtâtur. Eandem medicinam, & ego multiplici praxi efficacem ſenſi, quod exemplis viuis Heidelbergæ & Crucennaci demõſtrare poſſum. Modum autem componendi iſtam medicinam,

cinam, quamuis pro arcano magiſterio habeam, Veſtræ tamen Celſ. humilime communicabo, ita vt in præſentia eius præparetur. Clementiſſimus Deus Veſtræ Celſ. firmam valetudinem clementer reſtituat, eamque diutiſſime conſeruet. Amen. Schvvalbachii menſ. Iulio Anni 1599.

*Celſ. Veſtræ*

*Humilimus*

*Petrus de Spina aulæ Heidelbergenſis Med. D.*

## NOTA.

*Longum eſſet, beneuole lector, omnium, qui Empirici haberi volunt, nugas & vanitates hic commemorare, quas tamen multi tantopere Illuſtriſſimo Principi, hoc tēpore commendabant, vt admiſſi quidam & auditi, ita tamen examinati a ſua Celſ. fuerint, vt pleriſque ſuas medicationes in ſua Celſ. experiundi nulla data fuerit facultas. Ante alios erat quidam ſexagenarius, natione Gallus nomine Theodoricus rerum naturalium plane imperitus, is ſudoriferum de-*

coctum ligni Guaiaci vltra menſem ſua Celſ. propinabat in prandio. Illo abire iuſſo, ſucceſſit quidam Thomas Rhætus, temeritate nulli ſecundus, qui multis annis militiam ſectatus, deinde nobilium aliquot virorum podagra laborantium articulos cum Spiritu quodam inungendo, teſtimonia ab illis ampla extorſerat, quibus inſolentior factus Illuſtriſſimo Principi ſub pretio vel remuneratione 2000. flor. ſuam operam addicebat. Sua vero Celſit. pro ſingulari prudentia rerumque medicarum ſcientia, cum putaret, medicamentum illud cum temperatura articulorum, nullum habere proportionem, hominem vaniſſimum repulit, præſertim quia huius impoſtoris miniſter, Hans Peter Layen ciuis Lindauienſis, a magiſtro ſuo cum parte teſtimoniorum acceptorum ablegatus, vt plures hinc inde pecunia emungeret, paulo ante in Nobili viro, Domino Carolo a Schornſtet, omnium articulorum doloribus, tum temporis obnoxio, medicinam iſtam infeliciſſime tentaſſet.

Cogor autem hoc loco a propoſito recedere & præfati nobiliſſimi viri errorem admirari. Cum enim, vt dixi omnium articulorum doloribus laboraret, meaque opera vteretur,

tur, adduci non potuit, vt ſe podagra laborare crederet, eo quod nemo ſuæ familiæ illo morbo vnquam laboraſſet, nec etiam veriſimile eſſet, vt malum illud prima vice omnes articulos tam hoſtiliter occuparet.

Quaſi vero morborum appellationes, vel accidentia illa, morbi eſſentiam conſtituerent. Cum igitur hic æger, pro concepta ſpe tardius reſtitueretur & nominatus medicaſter accederet, ſuumque antipodagricum remedium plenis buccis extolleret, teſtimonia quin etiam a ſupradicto Thoma mutuo accepta demonſtraret, ſtatim homini vaniſſimo, artem in ſuo corpore experiundi poteſtatem dedit: Quo facto ſe podagra laborare conceſſit. Impoſtor enim non aliam medicinam quam antipodagricam venalem circumferebat. Cum ergo trium horarum ſpatio reſtitutionem polliceretur, magno deſiderio effectum, tam famoſæ medicinæ, cognoſcendi, tenebar. Vnde ſingulis diebus pro ſolito, ægrum accedebam, qui prima die nouam medicinam commendare, altera muſſitare, pluribusq; ex actis diebus quo magis medicinam iſtam continuaret, eo magis deteſtari & cũ maxima indignatione reiicere incipiebat.

Tanta vero intẽperies in articulos per no-

nam medicandi rationem introducta erat, vt vix biennii ſpatio ſe recolligere pedibuſque inſiſtere potuerit. Ne tamen aliquid deſideretur, nõ grauabor remedium illud quod mirifice occultabatur, hic ſubiicere. ℞. Nuc. Muſc. pip. zedoariæ, Angelicæ, ſem. vrticæ, bac. iunip. an. vnciam j. zingib. vncias iij. Pyretri vnciam j. ſ. Ambræ g. vj. ol. Terebint. vnciam ſ. Cariophyl. cinam. macis, ſuccini, maſticis, thuris, flor. Lauend. rad. Leuiſtic. flor. chamæm. Hypericeonis Anthos an. vnciam ſ. omnia puluериſentur & miſceantur in alembico, affunde Spir. vini rectificati menſuram j ſtent 10. diebus in calidis cineribus vt putrefiant, deinde deſtillentur, ſic habebis eſſentiam ad articulos podagricorum ſanandos. Huic eſſentiæ adde magiſterii Coralliorum vnciam ſ. magiſterii perlarum vnciam j. miſc. Modus vtendi. Inſtante dolore, eſſentia prædicta cum penna illinatur articulis dolentibus, donec nihil amplius de eſſentia iſta intra cutem ſe recipiat, protinus enim intra cutem ſe inſinuabit, quando autem nihil amplius intro penetrare poteſt, tum pellibus calor articulorum conſeruetur. Hoc pacto omnis dolor poſt alteram vel tertiam inunctionem conquieſcit. Quod ſi poſtea

*ea tumor aliquis vel nodus remanſerit, fiat cataplaſma, quod ſequitur & tumori vel nodo imponatur.*

℞ *Vinaceorum, ſem. fœnugræci, rad. Altheæ an. partes æquales fiat puluis, cum vino albo quantum ſufficit, fiat cataplaſma.*

*Dimiſſo prædicto Thoma, adfuit quidam Anabaptiſta, qui Spiritum Therebinthinæ, commēdabat. Poſt hunc adfuit Iudæus Francofurtenſis, qui, neſcio quod topicum articulis iam iam a paroxyſmo liberatis applicabat, unde genua derepente ad capitis humani magnitudinem intumeſcebant, vt ſtatim, accepto ſuo munere, ad ſuos fuerit relegatus. Reliquorum conſultationes præter externas inunctiones habebant nihil. Coquebantur vulpeculæ viuentes in oleo communi, collectā pinguedine inungebantur articuli: Ranæ exenteratæ, ſoli exponebātur, oleum defluens articulorum erat inunctio. Deſtillabantur ciconiarum pulli, aqua inde deſtillata, pedes roborare credebatur, &c.*

## *Conſilium VIII.*

QVantum ex relatione non ſolum ſymptomatum & affectuum præter naturam, quibus Illuſtriſſimus Prin-

ceps detinetur, verum etiam quantum ex relatione curationum adhibitarum, aliarumq; circumſtantiarum, nec non ex inſpectione ſuæ Celſitudinis colligere licet, minime dubitandum Illuſtriſſimum Principem laborare Arthridite & calculo renum tāquam præcipuis affectibus, quos alia plurima ſymptomata, partim in paroxyſmis, partim etiam extra paroxyſmos comitantur. Cum vero dubium non ſit, quin ſymptomata omnia ſint deſitura, quādo nimirum ſua Celſ. ab Arthritide & calculo in renibus exſiſtente liberata fuerit, ideo de ſola Arthridite & calculo inquirendum & conſultandum. Ego in ea omnino ſum ſententia, totum corpus, maxime vero caput abundare pituita non ſolum in iuncturas pedum & manuum, ſed etiam in renes delabente: Neque mirum ſit ſuæ Celſitudini quod interdum dolor etiam in partes extra iuncturas exſtenditur, id enim fieri poteſt, vel ab eadem influxione, ſi ſit copioſior, vel etiam per condolentiam. Huic pituitoſæ materiæ multum bilis flauæ adiungitur, quæ eſt quaſi vehiculum

culum pituitæ, vnde dolores acerbiores fiunt, & calculi, item arenæ tinguntur. Accurrit etiam diſpoſitio paterna: audio enim Illuſtriſſimi Principis parentem vtrumque, Arthritide & calculo laboraſſe, quin & auum Illuſtriſſimum. Sunt etiam renes ſua natura calidiſſimi, qui omnem impuritatem alliciunt & in lapillos excoquunt.

Quod ſi in memoriam reuoco imperitiſſimam iſtius Chirurgi Argentinenſis curationem, inunctionem ſcilicet omnium articulorum ex hydrargyro, neminē ſanæ mentis dubitare poſſe puto, quin maxima occaſio non ſolum ad conſummatam Arthriridem, ſed etiam ad impoſſibilitatem illam ambulādi, data fuerit. Exſiſtente igitur morbo inueterato, diſpoſitione paterna, vſurpariſque variis, & vt plurimum pernicioſis Empiricorum remediis difficilimum erit ſuam Celſ. omnino reſtituere. Quia vero boni Medici officium eſt, animum, nunquam deponere, etiam in caſibus deſperatis, videndū eſt quomodo & quibus medicamentis ſua Celſit. ſi non in priſtinum, ſaltem in meliorem

ſtatum reduci poſſit. Vterque morbus eſt ex repletione, hãc Hippocrates noſter per inanitionẽ tollere iubet. Quapropter corpus vniuerſum repetitis vicibus, potiſſimum vero caput ſufficienter ab omni humorum exceſſu liberandum. Poſſunt præmitti digeſtiua pharmaca, vt loquuntur Medici, quibus humores præparari & obſtructiones aperiri ſolent, cuiuſmodi eſſent *ſyrupus Beton. capil. ven. cichor. cum Rhab. &c.* Purgantia eligerem, quæ non violenter, ſed paulatim & clementer purgarent, vt *Rhab. Agar. flores caſsiæ cum drachma vnâ Spec. Hieræ. Propinarem etiam pilulas Coch. &c.* Ex vſu quoque ſunt ſudorifera, præmiſſis purgationibus, maximeque laudo theriacam Andromachi. Deinde veniendum ad medicamenta corroborantia caput & articulos, cuiuſmodi ſunt *Conſ. Roſ. antiqua Beton. Maioran. Saluiæ, &c.* Hiſce adiicerem flores ſulphuris, quantum enim ſulphur hydrargyro reſiſtat, multiplici experientia compertum habeo, adeo vt ſulphur mihi ſit antidotum contra hydrargyrum. Quinimo cum crura omnino eneruata & re-

laxata

laxata ſint vſu hydrargyri, conſulo, vt ſua Celſit. pro confirmatione articulorum vtatur decocto Abſynthii, Saluiæ, Beton. valde fumante & calente, ita vt vapor crura contingat & ſudare faciat: Quo facto fiat ſuffitus ex maſtice, qui excipiatur pannis & pedibus affricetur: Denique pedes inungantur oleo ſeſamino & abſynthiaco. Hoc modo pedes firmiores fore, mihi plane perſuaſum habeo.

Hæc quæ breuiter in medium propoſui, exigente neceſſitate immutari, & alia quædã ſuauiora ſubſtitui poſſunt. Ante omnia vero ſua Celſitam ceu peſtem fugiat, in victu etiam inculpabilem ſe gerat, nam ſi principes in victu viuunt vt volunt, curantur etiam vt poſſunt. Durlaci menſe Aug. Anni 1600.

*Iohannes Oberndorffer D. Illuſtriſsimi Principis Philipp Lud. Comitis Palatini Medicus ordinarius.*

## *Conſilium IX.*

SErenißimus Princeps Erneſtus Fridericus Marchio Badenſis, &c. Do-

minus noſter Clementiſſimus, laborauit iam per aliquot annos, & etiamnum laborat, per interualla tamen magno, omnium ferme articulorum dolore, nec non flatuum copia, tam in ventriculo, meſenterio, & aliis partibus adiacentibus, quam in muſculis generatorum.

Adhibita fuerunt Illuſtri Celſitudini ſuæ, tam intra quam extra corpus fortia medicamenta varii generis, e quorum numero etiam fuerunt pilulæ ex Mercurio, quæ ſæpius fuerunt exhibitæ. Deinde fortiſſimis veſicantibus & inunctionibus, naturalis humiditas articulorum exhauſta fuit, ita vt officium facere & corpus iam ſuſtentare nequeant, etiam extra paroxyſmum.

Præterea videtur ſubeſſe ſuſpicio veneni, ſiue ob medicamēta male præparata, ſiue aliunde hoc acciderit. Quæritur itaque primum, quæ nam horum malorum præſens ſit cauſſa, tam materialis quam efficiens: Deinde an & quomodo hæc mala, ſi non plane auferri, ſaltem mitigari & paroxyſmi retardari poſſint.

Ad

Ad hanc quæſtionem reſpondemus, ob maximam articulorum debilitatem & exhauſtam natiuam humiditatē eorum, quemadmodum etiam tēdinum, omnimodam reſtitutionem priſtinę ſanitatis promittere, eſſe hominis temerarii: Mitigationem autem dolorum & paroxyſmorum retardationem & flatum generationem dextro vſu medicamentorum impetrari poſſe, ne cor cum vicinis partibus tam vehementer inuadant & Dyſpnœam inferant.

Primum itaque habita temporis anni ratione, cum verſemur adhuc circa ſolſtitium hybernum, quo tempore humores corporibus impacti eſſe ſolent, vt medicamentis haud facile cedant, ad curationem vernum tempus omnino aptius erit.

Ac, quoniam fieri poteſt, vt interea corpus aliquantum mutetur, ideo præſens aliquis Medicus, adhibita eius rei diligenti conſideratione, medicamenta tum immutare poterit.

Quantū ad cauſſam horū malorum, conſideranti diligenter circumſtantias & ſymptomata, manifeſtū ſit cauſſam il-

lorum non eſſe puram & ſimplicem, ſed mixtam, ex bile flaua & pituita, ſiquidem interdum circa articulos, tumores efferuntur pallidi & frigdi, qui applicatione calidorum medicamentorum leniuntur.

Nonnunquam rubicundi & calidi, qui a calidis offenduntur, prout nimirũ vel bilis vel pituita magis exſuperat, atque hi humores partim a capite decidunt, partim in ventriculo, meſenterio & aliis partibus adiacentibus generantur, & ad exteriora rapiuntur, quæ partes, cum variis medicamentis veſicatoriis, inunctionibus mineralibus admodum debilitatæ, reſiſtere nequeant, materiam eiuſmodi recipiunt, & in flatus conuertunt, vnde poſtea motus illi inuoluntarii & retractiones muſculorum & tendinum, verſus ſua principia oriuntur, partim etiam in corpore reſoluuntur, cordi moleſtiam & palpitationem inducunt, ac ſpirandi difficultatem efficiunt.

Cauſſa cognita ad eius ablationem deueniendum, & quoniam Illuſtriſſimi Principis Celſitudo, pro ſingulari ſua

pru-

prudētia victus rationem commodam, optime ſeruare nouit, non opus videtur, pluribus eam proponere. Itaque quantum ad medicamenta, quoniam in ſimilibus caſibus cruditas vnice vitanda, crudique humores minime ſint ſequaces & medicamentis obtemperantes, ante purgationem omnino erunt præparandi, quod commode futurum eſt, ſi ſereniſſimus Princeps, per biduum duabus horis ante prandium ſumat hanc potiunculam. ℞ *Syr. Bethon. Stæchad. an.* ℥ ſ. *acetoſ. cit.* ʒ v. *aq. cydon.* ℥ ſ. *flor. Cichor.* ℥ j. *cinam.* ʒ ſ. *miſc. pro potione.* Hoc facto interponatur dies vnus quo I.C.S. quieſcere poſſit, ſequenti autem die ſumat de vino purgante, mane ieiuno ſtomacho, vncias quinque & ieiunet per horas 3. vel 2. Deinde iterū interpoſito die 1. repetat ſimilem potionem, idque ſingulis menſibus bis, mox a nouilunio. Deſcriptio vini purg. hæc eſt. ℞ *fol. ſen.* ʒ iij. *flor. perſic. ſic.* ʒ iij. *Mechoac. veræ* ʒ j. *flor. tunic. p.* iiij. *violar. Tiliæ an.* iiij. *ſem. fænic.* ʒ ij. *Xiloaloes* ʒ j. *Mannæ calabr.* ʒ vj. *cinam. inciſ.* ʒ j. *contundantur ad nodulum ex ſerico ad* ℔ j. ſ. *vini.*

Hoc medicamentum leue eſt, nullam inferens corpori debilitatem, ſed prohibens generationem cauſſæ materialis in corpore, euacuans ſimul materiam antecedentem: fortia namque & electiue purgantia, quibus aliqui putant cauſſam cõiunctam & proximam, quæ iam eſt in facto eſſe, exſtirpari poſſe, diſſuademus: talia ſiquidem in corpore debilitato, ſemper ſtigma aliquod eſt ſe relinquũt viſcera magis debilitãt, & ad flatuum generationem diſponũt.

Porro vtile admodum eſſet, ſi I. C. S. de puluere cardiaco ſingulis diebus ieiuno ventriculo ſumeret ʒ j. cum vino granatorum aut alio liquore grato, conuenienti, ſiquidem hic puluis omnes partes interiores & tendines quoque corroborat: Spiritus tam vitales quam animales optimos generat, quorum hi per neruos tendinibus communicati motum eorum promtiorem reddunt. Puluis autem ſic habet.

*℞ Margarit. præp.* ʒ ſ. *rad. torment.* ℈ j. *vnicorn. veri gr.* vij *Lap. Bezoar. gr.* IX. *Corall. rub. præp. Carab. alb. præp. an.* ℈ ſ. *Lign. Aloes opt. gr.* vij. *terr. ſig. ſil.* ℈ ij. *zedoar.* ℈ ſ.

*oſſis*

*oſſis de cord. cer.* ℈ *ſ. roſ. rub. Cort. Cit. ſic. an.* ℈ *j. ſantal. citrin. Behen rub. an* ℈ *ſ. flor. tunicæ* ℈ *ſ. Spic. Ind. g.* vij. *iniubarum n.* iij. *adde ſacch. candi alb.* ℥ *ſ. f. pul.*

Hora nũc poſt cœnã I.C.S. de roborãte electuario ſumere debet magnitudinẽ nucis Muſcatæ, & ſi fieri poteſt nihil ſuperbibere: hoc namq; ventriculi & epatis coctionem roborat, flatuum generationem inhibet, & ſic nutrimenti aſſimilationem partibus procurat.

℞ *Medullæ Citri recent.* ℥ v. *Cort. Citr. condit.* ℥ *ſ. flor. Arant. condit.* ʒ ij. *Nuc. muſ. Indic. condit.* ʒ j. *ſ. conſ. roſ. recent. flor. tunicæ an.* ʒ ij. *Borrag. Meliſſ. an.* ʒ j. *Lactuc. Hiſpan. condit.* ʒ ij. *Pyror. muſcatellin. condit.* ʒ iij. *Gelatin. Cydon.* ℥ *ſ. Berb. cond.* ʒ iij. *ſpec. arom. roſ.* ℈ *ſ. Diamarg. Diaxiloal.* ℈ *ſ. cum ſucco Granat. & ſucco citr. recent. an. f. elect. ſig. electuariũ roborans.* Exterius optime conueniret bis in die inungere genua & totã tibiam oleo Iaſmino: agiliores ſiquidem hoc temperate calefacit, tendines roborat, & ad agendũ reddit. In æſtate ꝓ cõſtitutione aeris corporis & ſymptomatum, poſſet de acidulis & thermis cogitari, de quib. hoc tẽpore, & hoc rerum ſtatu nihil certi poteſt determinari.

Deus Opt. Max. faxit, vt horum medicamentorum vſus I.C.S. optime conducat, dolores mitiget & paroxyſmos illos moleſtiſſimos vel longo poſt ſe interuallo relinquat, vel plane auferat, quod piis votis ex animo precamur. Scriptum 6. Ian. An. 1601.

*Lubertus Eſthius D. Profeſſor, Heid.*

*Theophilus Maderus D. Prof.*

## AD LECTOREM.

*Medicæ artis tyronibus rem gratam me facturum putaui, ſi hiſce Germanorum Medicorum conſiliis pro podagra conſcriptis, Itali, Præſtantiſſimi & Clariſſimi Venetorum aliquando Medici, Hieronymi Donzellini, de eodem morbo iudicium, quod manu ipſius Auctoris conſcriptum habeo, ſubiicerem. Præſertim cum a multis auide, tum temporis expeteretur.*

## *Conſilium Hieronymi Donzellini ad podagram præſcriptum.*

PODagra eſt fluxio humoris frigidi initio quidem tenuis & pituitoſi, pau-

paulatim tamen craſſeſcentis. Terminus a quo iſta fluxio fit, eſt caput, cuius excrementum eſt illa pituita. Caput autem huius fluxionis originem eſſe eſt certiſſimum. Huius enim rei inſcitia effecit, vt paroxyſmum quidem podagræ Medici hactenus curauerint, reditum vero impedire nunquam potuerint. Huius rei certum ſignum eſt, quod podagrici interrogati, capitis grauitatem & pondus pauloque poſt per ceruicem, quandam veluti pluuiam deſcendentem, ſe percipere reſpondent, quæ tandem in articulos decumbit. Qui autem ex ventriculo & cruditate podagram prouenire & humores per venas in articulos influere putant, ii explicare non poſſunt, qua ratione humores ex ventriculo in brachia, & manus aſcendere poſſint, cum potius ratione grauitatis deſcendere, quam aſcendere debeant. Præterea multi a podagra ſunt liberati ſolo potu aquæ: Aqua vero cum ventriculum crudiorem reddat, augere potius debebat morbum quam tollere. Non inficiamur tamen crapulam & otium creare podagram, ſed ea ratione,

quia plenus ventriculus multos vapores in caput mittit, vbi denſantur vapores, & materiam faciunt excitandis fluxionibus aptiſſimam.

Terminus ad quem fit fluxio, ſunt articuli totius quidem corporis, ſed tamen potiſſimum crurum, brachiorum, pedum & manuum.

Viæ per quas fluxio fit, ſunt partes ſubcutaneæ inter muſculos latentes, per quas ad muſculorum tendines ad ipſos tandem articulos humor deſcendit, vbi firmatus, dolorem ab extenſione parit.

Curatio tollit vel paroxyſmum, id eſt, dolorem, vel arcet ne redeat.

Præſens dolor tollitur adhibitis variis remediis pro varietate ætatis, regionis, temperamenti, habitus corporis, anni temporis. In primis tamen curandum, vt corpus ab excrementis ſit purum.

Quando igitur dolor infeſtat, quam primum detur hoc medicamentum mane quatuor horis ante cibum.

℞ *Maſſ. pil. Aggr.* ℨj. *coch.* ℨſ. *fiant pilulæ deauratæ.* Si mauis potum.

℞ *Elect.*

℞ *Elect. lenit.* ℥ j. *mellis roſ. ſol.* ℥ ij. *aq. Beton. q. ſ. miſc.* Corpore purgato, ſi opus eſt, iteretur purgatio: Deinde adhibeatur loco dolenti cataplaſma e mica panis albi in lacte cocta, cui adde ol. roſ. compl. vitellos ouorum cũ aliquot granis croci. Hoc cataplaſma renouetur ꝑ neceſſitate. Vel illinatur locus dolens e ſucco Ebuli. e. g. ℞ *ſucci fol. ebuli in æſtate, vel ſucci radicis Ebuli in hyeme* ℔ j. *ſaluiæ, Iuæ art. an.* m ij. *lumbr: corũ terreſtrium vino albo lotorum* ℔ j. *Terebintinæ lotæ in aq. ſal.* ℥ ij. *rad. altheæ lib.* j. *vini albi* ℔ viij. *ol. com. lib.* ij. *ſ.* Decoquãtur ad conſumtionem vini, fiat colatura, cui adde ceræ q. ſ. fiat vng. molle. Lenitur etiam dolor, admoto loco dolenti linteolo madefacto in aqua Verbaſci, aliquando in aqua vitæ, hyeme præſertim, vel in regione & temperamento frigido. Paratur & hoc linimentum dolorem ſtatim ſedans. ℞ *ol. roſ. compl.* ℥ ij. *ſem. pſyllii* ʒ ij. *croci* ℈ j. *terr. ſig.* ʒ j. *ſ. vitellum oui, ſucci lactucæ, in quo infuſum ſit coriandrum pulueriſatum, q. ſ. miſc.* Dum dolor infeſtat abſtineat æger a vino, præſertim ſi adſit febris: Bibat autem aquam decoct. ſacchar.

vel mellis cum pauco cinamomo. Cibus ſit leuis & facilis concoctionis optimique ſucci. Si dolor ceſſauit & articuli ſunt imbecilles & aliquo adhuc humore imbuti, hoc adhibeatur balneum. ℞ *aq. ferratæ vel chalybeatæ q ſ. Abſyn. Iuæ art. Hiperici, Sal. Roſ. rub. Burſæ paſt. an. m j. Guaiac.* ℔ *ſ. fiat decoctio.* Colatura detur pro balneo matutino & veſpertino. Deinde per horam mediam poſt balneum locus ſiccatus inungatur vng. martiato id fiat, donec pedes ad greſſum firmentur.

Vera curatio eſt qua reditus paroxyſmi inhibetur. Hæc potiſſimum conſiſtit in euacuatione illius, quod ſuperfluum eſt, in confortatione quod debile eſt, & denique in recta victus ratione.

Ad euacuãdum corpus potiſſimum vero caput, ℞ *fol. ſen. Sarſæ paril. Tartari alb. an.* ℥ *ſ. Hermod.* ʒ iij. *Turpet.* ʒ ij. *Diagr.* ʒ j. *ſ. Maſtic.* ʒ *ſ. fiat puluis ſubtiliſſimus ſemel in menſe ſumendus pondere* ʒ j. *ſ.*

Saluberrimum etiam fuerit ſemel in ſeptimana ſumere Theriacæ ʒ j. *ſ. mane in lecto.*

Si quis remedia illa ferre nequit, vti

poteſt

poteſt ſequentibus, quibus certo certius podagra curatur. Galenus, Paulus & Ætius ſcribunt multos fuiſſe curatos puluere oſſium combuſtorum, quo remedio ego etiam multos liberaui. Veteres quidem oſſa comburebant, ſed quia vſtione vires perduntur, ego illa limare & in puluerem redigere ſoleo. *Ad ℥ j. iſtius pulueris addo ʒ j.ſ. cinamomi.* Doſis autem eſt ʒ j. mane in iuſculo vel vino. Si quis ea hora potum abhorreat, miſceri poteſt puluis cum melle roſaceo ad formam Electuarii. Galenus oſſa humana ceteris præfert, a quibus ſi quis abhorreat, eorum loco ſumet bubula. Sumendus eſt hic puluis per aliquot menſes, vt tollatur fluxio illa, quæ, quo eſt vetuſtior, eo difficilius tollitur, nec non niſi aſſiduo medicamenti vſu.

Alterum remedium ad euellendum hunc morbum contumacem ſunt pilulæ moderatiſſimæ *num. 36.* quæ ſumantur hoc ordine. Prima ſeptimana ſumitur vna pilula quotidie per horam ante cœnam. Altera ſeptimana ſumitur alternis diebus. Tertia bis in ſeptimana. Quarta & ſequentibus ſemel, donec pi-

lulæ omnes abſumtæ ſint, ita natura paulatim expellit humorem noxium ab articulis. Compoſitio eſt talis.

℞ *Myrrhæ, lign. aloes, cinamomi, Maſtic. Rhab. Aloes* ʒ ij. *Moſch. g.* v. pulueriſentur, & fiat maſſa cum vino aromatico, de qua formentur *pilulæ 36.*

Ceterum ad exſiccanda corpora humida, & confirmandos articulos debiles, probatiſſimum habeo puluerem; cuius Eraſtus vir doctiſſimus mentionem facit *libr. 3. contra Paracelſ.* & compoſitionem refert in Medicum Italum, cum nomen meum ignoraret. Deſcriptionem tamen non addit, quam ego tamen tradere non grauabor. Arcana enim mea libenter communicabo. ℞ *Chamæd. Iuæ, Centaur. min. Ariſtoloch. Saluiæ, Beton. an.* ℥ j. *lign. Guaiac.* ℥ viij. ſingula ſeorſim pulueriſentur. Hoc vnico perfecte curatur podagra, niſi quis in actu imitari velit Sardanapalum.

Diætam quod attinet, cœna ſemper ſit tenuis, vitentur olera, legumina, lacticinia, piſces, aromata, caro ſuilla, vinum forte, otium, crapula, Venus. Corpus quotide exerceatur. In menſa loco

ſalis

ſalis vſurpetur puluis ex 4. partibus ſacchari, & vna parte cinamomi.

*Hieronymus Donzellinus Medicin. D. apud Venetos.*

CEterum cum pleriq; ægri in diuturnis morbis pluriũ Medicorum cõſilia exquirere ſoleant, mirũ non eſt, beneuole lector, idem feciſſe Illuſtriſſimum & Afflictiſſimũ hunc ægrum. Cũ enim in hoc vſq; tempus pleraque ſymptomata in eodem ſtatu permanerent, placuit ſuæ Celſ. Pariſienſium Medicorũ conſilia explorare. In hũc igitur finẽ primum fuit deliberatum de modo cõſulendi Pariſienſes. Illuſtriſſimus enim Princeps Italorum proceſſum minime probabat, vtpote qui in publico multorum ſtudioſorum conuentu, pleraq; ingenii oſtentandi cauſſa, proferant ſeq; magis ad auditores, quã ad morbos accommodent. Iuſſus itaq; dicere ſententiam, humilime reſpondi, fieri quandoque poſſe, vt in publico eiuſmodi conſeſſu iudicia minus ſint libera, præſertim qñ inter collocutores vel æmulatio aliqua vel familiaritas nimia interuenit. Optimum igitur, vt aliquot periti

Medici ſeparatim vel ore, vel de ſcripto probe de omnibus morborum circumſtantiis informentur & conſulantur. Præſtiterit tamen ſemper ore potius quam ſcripto Medicos abſentes ab eo informari, qui ægri naturam & morbi conditionem optime norit & idoneis verbis exprimere poſſit.

Quanquam enim ſæpe putemus ſufficientem inſtructionem ſcriptis literis comprehenſam eſſe, ſubinde tamen aliquid occurrit, quod abſentes, maximeque exterarum nationum Medici vlterius ſciſcitentur. Attamen præualuit, nude & ſimpliciter totam morbi hiſtoriam cum neceſſariis, ad curationem feliciter inſtituendam, circumſtantiis, conſcribendam & tranſmittendam eſſe. Cum igitur officium illud mihi demandaretur, ſequenti forma effectum dedi.

Illuſtriſſimus Princeps natus ab Illuſtriſſimis parentibus calculi renum, & articulorum dolorib. obnoxiis, annum ætatis agens 42. Temperamentum habens in paſſiuis qualitatibus valde humidum, in actiuis vero aliquo modo calidum

dum, prout non ſolum ex relatione & ſcriptis Medicorum illius temporis, ſed ex aliis etiam ſignis apparet, nunc vero ratione ætatis declinantis, & vi morborum hactenus perpeſſorum calorem natiuum frangentium, paulo frigidius factum, varios & diuerſos affectus in ſextum annum ſuſtinet, corpore nihilominus ſatis firmo & corpulento exſiſtente, niſi quod pedes, reſpectu reliqui corporis optime proportionati, quodammodo contabeſcere incipiunt.

Affectuum vero alii ſtabiles ſunt & permanentes, alii inſtabiles, & per interualla recurrentes.

Ad ſtabiles & permanentes refero impotentiam illam pedum, quod nimirum Celſ. ſua per annos fere ſex, nec pedes libere, ac pro voluntate flectere aut extendere, multo minus iis inſiſtere incedere aut ambulare valet. Huc refero vlcuſcula quædam ſuperficialia in parte pedum inferna circa malleolos potiſſimum exſiſtentia. Hæc interdum acrem & mordacem ichorem fundunt, interdum minus. Nonnulla denique horum vlcuſculorum, quandoque ſua

ſponte, interdum vero vſu emplaſtrorum conſolidantur, quandoque etiam repullulant. Recurrentium morborum duo ſunt potiſſimum, dolor ſcilicet omnium articulorum & renum calculi. Vtrique denique alia peculiaria & inaudita ſymptomata ſuperueniunt, quæ plurimum laboris & moleſtiæ pariunt. Quotieſcunque enim articulorum dolores Illuſtriſſimum Principem inuadnnt, non ſolum grauiſſima animi deliquia obrepunt, ſed cor vſque adeo premitur & anguſtatur (*potiſſimum quando ſua Celſ. iam obdormiſcere incipit*) vt ſuffocari quaſi videatur. Moleſtiſſimi quoque ſunt articulorum tremores & concuſſiones, quas forſan horrores, cum Medicis loquendo, recte nominauerim, qui quotieſcunque ſuperueniunt grauiſſimos cruciatus excitant, miteſcunt tamẽ, ſi membrum tremens manibus apte continetur. Nihil hic dicerem de inappetentia & multiplici ſudore, qui interdum critice, interdum ſymptomatice profluit: Nihil de vigiliis cõtinuis, niſi vbique nonnulla, conſideratione & examine digna, mihi ſuccurrerent.

rent. Inappetentia licet tanta ſit, vt tribus vel quatuor diebus nihil cibi capiatur, corpus tamen nec contabeſcit, nec alui beneficium impeditur, niſi ſtudio ſupprimatur ad vitandos dolores, qui ſuæ Celſ. dum a miniſtris e lecto ſubleuatur, inferri poſſunt. Circa ſudores obſeruaui, quod ſudor in dextra manu erumpens inſtar granulorum ſalis lapideſcere, ſaliſque ſaporem referre, his diebus viſus fuit. Circa vigilias obſeruaui, ſuam Celſ. poſſe interdum dormire, quotieſcunque vero ſomnus aliquis obrepit, toties dolor & dicta cordis compreſſio, primis potiſſimum paroxyſmi diebus, obdormiſcẽtem ſuffocare quaſi videntur, vt inueſtigatione dignum ſit, cur iſta ſuffocatio non vigilanti, ſicut dormienti ſuperueniat. Hos denique Arthritidis paroxyſmos comitatur alui fluxus bilioſos, quæ plerunque critice ſuperuenit. Alter affectus in renib. conſiſtit. Dolor enim eſt circa renes, interdum in vreteribus, interdum in pene, vel meatu penis. Hunc dolorem comitantur non ſolum arenoſæ vrinæ, ſed etiam varii coloris lapilli, quorum non-

nulli phaſeoli magnitudinem æquare viſi ſunt. Quamuis autem lapilli hactenus excteti, rari, ſpongioſi & friabiles primo aſpectu appareant, reuera tamē duri ſunt & fractu cōtumaces. Formam lapillorū quod attinet, non eſt omnium vna & eadem, ſunt enim alii aſperi, acuti & inæquales, alii plani & leues.

Pro curatione horum omnium varia hucuſq; remedia, tam chirurgica quam pharmaceutica, potiſſimū autem quatuor fonticuli in brachiis & cruribus, Thermæ, decoctum ligni, aliaque a variis præſcripta, & a ſua Celſ. vſurpata fuerunt. Pe ſuaſa quin etiam fuit Celſ. ſua vt inunctionem ex hydrargyro admiſerit.

Hæc ſunt quæ ad inueſtigandū morbum & curationem feliciter inſtituendam, abſentibus Medicis exponenda eſſe arbitror. An. 1602. menſis Maii.

QVibus autē Medicis hæc inſtructio transmiſſa, quidue conſilii datum fuerit, incompertum habeo. Poſt menſem tamen vnum & alterum ſua Celſ. aliquot mihi quæſtiones proponebat, ex quib. de accepto conſilio ſuſpicionem

con-

concepi, quę cum ad illuſtrationem reliquorum conſiliorum conducant, ſubiicere eas placuit.

Prima quæſtio erat, *cur Medici radicibus potius Hellebori nigri quã foliis vtantur.*

Secunda, *An Helleborum inſita & naturali proprietate ſpaſmum inferat?*

Tertia, *An Tabaci fumus per fiſtulam ore acceptus & per nares excretus, caput exſiccare poſsit?*

Quarta, *An Spiritu vini caput abſque noxa lauari poſſit?*

Quinta, *An electuarium antipodagricum, cuius deſcriptio ſequitur, in vſu ſit?* Recipit autem *Ariſtoloch. rotund. Gentianæ, Rhapont. mei an.* ℥ j. *Sem. Petroſel. Macedon.* ℥ ſ. *Comarum Chamæd. Cent. min. Hyperici an.* ʒ x. *fiat puluis cum melle deſpumato excipiẽdus pro electuario.* Primo mẽſe ſingulis diebus datur ʒ j. ſ. *deinde* ʒ j. *ſingulis diebus per annum dimidium.*

Primam igitur quæſtionem quod attinet, conſtat Dioſcoridem, & cum eo pleroſq; omnes Medicos, radices Hellebori in vſu habuiſſe, non quod folia pernicioſa, vel nullarũ virium, ſed quod radices maioris efficaciæ & experien-

tiæ ſint. Sunt quinetiam magni nominis Medici, qui in genere ſtatuunt, in ſeminibus & radicibus potiſſimas eſſe plantarum vires: Flores propter ornatum folia autem vt ſuperfluam humiditatem reciperent, condita eſſe. Addunt huius aſſertionis rationem, vires radicibus tam validas ineſſe, vt reliquas plantarum partes omnes ex ſeſe nutriant & conſeruent. Semina autem magnarum virium eſſe, vel inde conſtare, quod nouam ſui generis & virium plantam producere poſſint. Huc facit quod Mizaldus ſcriptum reliquit, paſtores in Græcia aliquot foliorum Hellebori manipulos abſque vllo purgationis effectu deuorare.

Paracelſus tamẽ nigri Hellebori folia in vmbra ſiccata in puluerem redacta, drachmæ dimidiæ pondere cum ſaccharo exhibet.

Inſtabat Illuſtriſſimus Princeps, Dioſcoridem ſibi lectum de Helleboro nigro ſimpliciter loqui, iam vero totam plantam dici Helleborum nigrum, vt haud conſtet an foliis vel radicibus vti liceat. Addebat ſe iam aliquoties expertum

um eſſe, vſum pulueris foliorum Helle-
bori nigri, 15. granorum, vel vnius ſcru-
puli pōdere mitiſſime corpus purgare.

Reſponſum eſt, in re herbaria diffe-
rentias interdum ſumi a calore, inter-
dum ab alia re. e. g. Helleborum aliud
album eſt, aliud nigrum. Iam conſide-
randum quænam plantæ pars alba vel
nigra ſit. Conſtat autem differentiam
iſtam in radicibus conſiſtere: Quapro-
pter quando nigri Hellebori ſit men-
tio, intelligendum eſt de illa plantę par-
te, quæ nigra eſt. Sic Marrubium aliud
album eſt, aliud nigrum, eo quod folia
in altera planta ſunt nigra, in altera albi-
cantia. Iam ſi mentio fiat marrubii albi,
nemo ſemen vel radicem, ſed folia in-
telliget, quæ nimirū differentiam iſtam
conſtituunt. Idem de Roſis & infinitis
aliis intelligendum.

Præterea vſitatum eſt in arte medi-
ca, vt plantarum nominibus ſimplici-
ter, & abſolute ſine determinatione ra-
dicum, foliorum, florum & ſeminū poſi-
tis, quicquid dicitur, de illa parte ſem-
per intelligatur, quæ vel vſitatiſſima eſt,
vel maioris efficaciæ. Experientiam

quod attinet, Galeni ſententiam eſſe, eam in viro bono vim habere methodi. Licet ergo omnibus rerum naturalium vires perſcrutari & artificioſe experiri, quicquid denique inuentum & expertum eſt, rationibus ſtabiliri & confirmari debet.

Ad ſecundam quæſtionem reſpondendo, dubium non eſt, quin tempore Hippocratis ſpaſmi, ſeu conuulſiones vſu Hellebori frequenter inciderent. Hinc *aph.* 1. *ſect.* 5. Spaſmum eiuſmodi lethalem eſſe pronuntiauit. Quinimo Galenus *com.* 6. *in* 6. *Epid. tex.* 35. inquit Athenienſem quendam ex crebro coturnicum vſu in ſpaſmum incidiſſe, non alia ratione, quã quod coturnices Helleboro veſcerentur. Denique Actuarius *lib.* 5. *meth. cap. vlt.* Helleborum inter exitialia venena reponit, & non ſine maxima cura & ſolicitudine vſurpandum monet. Ex quibus fit veriſimile, Helleborum naturali proprietate ſpaſmum inferre.

Attamẽ multiplici & infallibili Matthioli, aliorumque recentiorum Medicorum ſtudio & experientia conſtat, Hel-

lebori

ebori radices non ſolum innoxie,
ed maximo etiam cum fructu in E-
pilepſia, febre quartana, lepra, al iſ-
que morbis diuturnis & rebellib. v-
ſurpari. Quod igitur Hippocrate,
Galenum, Actuarium & alios atti-
net, non eſt dubium illos de exceſ-
ſiuo Hellebori & quidem radicis v-
ſu, nimiaq; quãtitate locutos eſſe, vt
certum ſit non ipſius Hellebori na-
turã ſed hypercatharſin pertime-
ſcẽdam & fugiendã eſſe. Ex funda-
mẽto igitur ſupra poſito facile cre-
diderim, folia Hellebori multo mi-
tius abſq; vllo ſpaſmi metu vſurpa-
ri poſſe.

Tabaci fumũ quod attinet, quæ
tertia erat quæſtio, conſtat Hiſpa-
nos, Anglos & Hollandos frequẽ-
tiſſimo vſu, per fiſtulas figulinas vel
argenteas etiam (quas tamẽ fumo
calefactas labia non ſuſtinẽt) fumũ
iſtũ ore attrahere & per nares eun-
dem explodere. Nec dubiũ eſt quin
cerebrum immoderate humidum,
hac arte exſiccetur, nõ quidẽ quod

Tabaco,ſed quod omni fumo tali exſiccandi vis ſit. At vero cum multorum eruditiſſimorum Medicorũ ſentẽtia Tabacũ Solani quædã ſpecies ſit, ego vel aridam maioranã, Betonicam, ſaluiam vel ſimilẽ plãtam cerebro gratam, quam Tabacum nondũ ſatis cognitũ, dictæ fiſtulæ ad exſiccandum caput imponere & fumũ ore attrahere malim. Quanquam, vt ingenue fatear, nec ſputationes tali fumo mihi excitatas memini, quas nonnulli, ſubinde exſpuendo, artificioſe fingere poſſunt. Obſeruatione quin etiam dignum, quod fiſtula iſta poſt quartũ vel quintum fumum attractum expurgatione indiget. Fiſtulæ n. meatus a fuligine adeo obſtruitur, vt acu longiore vel ſtylo idoneo repurgari neceſſe habeat. Cum igitur tãtum fuliginis fiſtulæ adhæreat, quãtum cerebri membranis adhæſurum putabimus?

Deniq; manifeſtũ eſt tali effumatione tenuiores quidẽ phlegmatis

a capite partes cõſumi & exſicca-
reliquã a. portionem magis con-
enſari & ad expulſionẽ fieri ine-
tiſſimã. Cum igitur ex H ppocra-
s decreto nõ ſolũ iucunde ſed et-
am ſecure ſit medicandum, credi-
erim Germanos dono iſto Hi-
panico carere poſſe.

Spiritus porro vini eadẽ fere eſt
atio. Quamuis n. videam Fernelũ
larisſimum Medicum in conſilio
uodam pro dentium dolore a de-
tillationib. conſcripto, capitis ab-
utionẽ cũ ſpiritu vini factam com-
nendare, nec dubium ſit vtramq;
erebri intemperiẽ humidã & fri-
gidam iſto remedii genere corrigi
oſſe, duo tamen pericula inde im-
ninere videntur. Primũ ne cõtra-
ria intemperies introducatur, vnde
maior ſuperfluitatum copia ſurſum
trahatur. Alterũ ne humores in ca-
pite accumulati, ſpiritu vini repen-
te fundantur, & apoplexiæ occaſio
detur. Quapropter non ſolum raro
ſed etiam parce & caute, pectine e-

bu neo in ſpiritu vini dűtaxat ma-
defacto ad pectendű caput vtĕdű, a
lotione vero abſtinendű ex ſtomo.

Electuarium antipodagricum, vt poſtremæ quæſtioni ſatisfiat, nō ſolum in Italia & Gallia, ſed in Germanis queq; vſitatű & antiquű remedíű eſſe, vel ex variis eiuſdē deſcriptionib. apparet. Cű a. deſcriptiones iſtæ quodāmodo diſcrepĕt & a quibuſdam ſine cauſſa occultĕtur, ordine quotquot habeo ſubiiciam.

## DESCRIPTIO PVLVERIS ANTIPODAGRICI D. CRATONIS, ab Electuario dicto nihil fere diſcrepantis.

*℞ Ariſtoloch. ℥ j. Cent. min. ʒ iij. Gentian. ʒ vj. Mei ʒ. v. Hyperici ʒ. vj Petroſel. Macedon. ʒ. j. Agar ʒ j. Rhapont. Rhabarb. an. ʒ j. fiat pul. ſubtil ſſ. cuius vſus eſt per annum integrum.*

Deſcriptio alia D. Monauii.

*℞ Chamed. Dictam. Cret. Inæ Rad. Cent. min. Herb. Cent min. Gentian. Ariſtoloch. rot. an. ℥ j. Cort. interior. iuglād. ℔ j. fiat pul. Doſis ʒ ß per dies 40.*

propter

opter amaritudinem ſumatur cum
odio vel melle.

Deſcriptio D. Eraſti.

℞ Ariſtoloch. Gentian. Rhapont. Co-
ar. Chamed. Iuæ, an. partes æquales. fiat
l. per anni quadrantem ſumendus
ndere ℥. j.

Alius puluis eiuſdem auctoris.

℞ Corn. Cerui vſt. Oßium boū, Nucl.
itri, Dactylor. Mandibularum Lucii
. part. æq. Corallor. vſtor. Eboris vſti
. partē mediam, adde aliquid pul. Cin-
am. Macis, Gariopb. ad ſaporem, cum
cchero fiat Tragæa.

Alia deſcriptio Donzellini.

℞ Chamed. Iuæ, Cent. min. & ma-
r. Saluiæ Beton. Gentian. Ariſtoloch. ro-
nd. an. ℥ j. Guiac. opt. ℔ j. fiat puluis.

LIA DESCRIPTIO ANTI-
VISSIMA, EX LIBRO, ANNO
380. manuſcripto, cuius copiam mihi fecit
Generoſus Baro Philippus a Win-
nenberg & Beilſtein.

℞ Rhapont. ℥ j. Agar. ℥. ij. Valerian.
. iij. Sem. Petroſel. Macedon. Mei an.
. v. Gentian. Ariſtoloch. an. ℥. vij. Cha-
ed. ℥. ix. miſc. fiat puluis.

Quãuis a. Electuariũ antipodagr cũ ſupra poſitũ Illuſtriſſimo Princi pi plurimũ commendatũ eſſet, nũ quam tamen propter amaritudin vſurpare potuit. Ab eo vero tem pore in frequenti vſu habebat pilu las ex ℈ j. foliorum Hellebori nig confectas, ter vel quater aluum la xantes. Quod ſi doſis adaucta vel a liud ex electiue purgantibus adie ctum fuiſſet, non dubito quin ma iorem purgationis vtilitatem per cepiſſet. Adduci tamen non potui vt tantillum immutaretur.

Ceterum eodem anno cum Cl riſſimus Medicus Felix Plateru Durlacum tranſiret & Celſ. ſuã of ficii cauſſa ſalutaret, inter alia re media, quæ in deliberationem ve niebãt, mentio fiebat balnei vel pe dũ lotionis ex vino & aqua a quo dam Doctore iuris, podagrico, ſua Celſ cõmendati. Sed videbatur hoc Doctori Platero inefficax, cuius lo co cõmendabat balneũ ex ſolo vi no, cui lignum guaiacum, Iuã Cha-

pedrim, Ebulum, Saluiam & con-
ſolidam Saracenicam incoquebat.
Recordabar tunc D. Poſthij, qui in
proprio corpore feliciter experie-
batur balneum ex ſimilibus ferme
herbis confectum, addito ſale & a-
lumine ad maiorem pedum cor-
roborationem.

Habes nunc, beneuole lector, nō ſolum grauiſſimi morbi, ſed remediorum etiam non vulgariū deſcriptionē, quibus vt Hippocrates innuit, vtimur, non vt vltimū vitæ terminum vitare, ſed potius vt eundem feliciter expectare poſſimus. Sic etiā Illuſtriſſimus Princeps, propter rariſſima heroicarū virtutū ornamenta, vita longiſſima digniſſimus, viribus magis magiſq; collabentib. accedente etiam ad priora ſymptomata grauiſſimo catarrho 13. Aprilis, Anni Dom. 1603. Ætatis vero 44. placidiſſime & Chriſtianiſſime ex hac mortali vita deceſſit.

FINIS.